



Dissertatio chirurgico-medica inauguralis de syphilisatione

<https://hdl.handle.net/1874/301495>

DE
SYPHILISATIONE.

DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA INAUGURALIS
DE

SYPHILISATIONE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MRD. ET ART. ORST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS VAN HOEK,

DORDRACENUS.

A. D. XXV. M. JUNII, A. MDCCCLVIII, HORA VIII DIMIDIATA.

TRAJECTI AD RIENUM.

P. W. VAN DE WELJER TYPIS MANDAVIT.

MDCCCLVIII.

DE

SYNOPSIS

OF THE

PROCEEDINGS

OF THE

COMMISSIONERS

OF THE

LANDS

OF THE

JACOBUS VAN ROEK

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

M A T R I
O P T I M A E C A R I S S I M A E

SACRUM.

Alleen de rationele therapie, die geene andere naast zich
duld, leidt tot vertwijfeling aan ons therapeutisch vermogen.

GORÉE, Brieven over Geneeskunde.

PRAEFATIO.

Occasio, quae mihi per biennium erat in clinico chirurgico Viri clarissimi van Goudoever diversas syphilidis formas observandi, quandam in me praedilectionem excitavit, ut morbo operam darem, qui jure inter maxima generis humani mala habitus, in omnibus civitatis ordinibus se ostendit, nec tempore neque sede circumscriptus, infantem aequae ac senem, virum aequae ac foeminam aggreditur. Varias syphilidis formas cognoscens simul didici, quid multa tamquam specifica laudata remedia valerent. Quum vero hieme anni praecedentis Cl. van Goudoever nobis communicaret se in animo habere syphilisationem occasione data experimentari, consilium cepi illam methodum, quodammodo novam, in specimine meo academico tractandi, sperans fore, ut, experi-

mentis propriis doctus, syphilisationis effectum in syphilidem existentem cogniturus essem et aliquot proprias observationes hac de re communicare possem. Hucusque vero, quod admodum dolet, ea instituere fere non potui, ita ut non nisi duos casos, eosque imperfectos, in quibus syphilisatione usi sumus, memorandum habeam. Quum autem tempus insisteret, quo gradum doctoratus acquisiturus essem, exspectare non potui, donec experimentis propriis specimen meum magis absolutum factum esset, quare non plus potui, quam ea tractare, quae scriptores hac de re in medium protulerunt.

Interea benevolentia Clarissimi v. G. spem mihi dedit, ut mensibus sequentibus occasione data experimenta de syphilisatione continuarem, quo facto observationes, tum habitas, alio loco enarrare mihi propositum habeo.

Antequam autem huic praefationi finem imponam, Promotori aestumatissimo, Viro clarissimo van Goudoever gratias quam maximas ago, non solum pro auxilio, quod hoc in negotio mihi praebuit, et pro benevolentia et humanitate mihi aliis in rebus probata, verum etiam pro egregia institutione. Praeceptorum quoque reliquorum grato semper animo reminiscar, qui me varias medicinae partes docuerunt.

CONSPECTUS HISTORICUS.

Per omne aevum quaevis inventio, in quacun-
que scientiarum parte facta, quae cum theoriis jam exis-
tentibus haud conveniebat, adversarios et impugna-
tores sibi acquisivit. Nec Galilei, nec Newton,
neque Harvey, neque Jenner statim homines
proclives invenierunt, qui grato animo eorum obser-
vationum veritatem atque commoda agnoscerent.
Notabantur a viris doctis; ecclesiastici sua auctoritate
eos execrabantur; theoriae, quas eorum observa-
tiones labefecerant, haud raro diplomatibus pontifi-
cialibus confirmatae erant; facta, ab iis in lucem
prodita, negabantur: at veritas opprimi quidem potest,
extingui tamen nequit; deinde theoriae et iudices
evanuerunt, dum genus humanum, quod nunc vivit,
argumenta, ad theoriam propugnandam adhibita,
ridet, inventionem agnoscens inventoremque hono-
rans.

Sic quoque inventio, quae in doctrina medicinae seculo decimo nono facta magnique momenti est habenda, ita variam diversamque oppositionem nacta est, quam alia scientiae pars vix experiri possit. De nova methodo, ad morbos venereos curandos proposita, lis agitabatur, quae methodus paradoxa quidem atque absurda videbatur, sed, factis nitens, totam pathologiam atque therapiam morbi immutare minabatur, de quo ante paucos annos theoria, quae sufficere nec minus satisfacere censebatur, erat constructa. — Haud mirum! atqui non minus dolendum, quod talis methodus certamen vehemens et impar suscipere debebat: vehemens erat propter opiniones privatas et diversa fautorum atque adversariorum commoda; impar propter auctoritatem, qua adversariorum princeps apud iudices gaudebat. Certamen illud mox commemorandum est nobis, postquam sermonem habuerimus de syphilisationis inventione.

Seculo jam XVI opinio nata erat, syphilidem evanescere, sive viri infirmatione, sive generis humani saturatione. Astruc et multi cum eo in animo habebant, syphilidem esse morbum quodammodo recentem, et quidem ab Americanis ad nos translatum, et putabant, temporis lapsu morbi vim mitigatum iri; quorum opinio confirmari videbatur eo quod morbi decursus tunc mitior erat, quando scilicet cum decursu, qui sub finem seculi XV vigeat, comparatur, quo tempore syphilis, prout illi opinabantur, primum se ostenderat: sed postquam investigationes posterioris temporis admodum certe morbi originem antiquissimam esse docuerunt, symptomata famosa,

anno 1492 et sequentibus observata, tantum gravissimos morbi paroxysmos habendos esse patuit; at illorum paroxysmorum explicatio, nempe variarum gentium congregatio, ansam praebuit opinioni, sub finem seculi praecedentis a Cl^o. Swediaur in medium allatae, syphilidem scil. populo adhuc intacto adductam, in initio sub forma gravissima se ostendere, sed per tempus mitius decurrere, simul ac incolae plus minusve viro affecti sunt, et ab alia parte quando syphilis e confusione variarum nationum oritur, symptomata vehementia eam comitari.

Quum vero Jenner invenerat remedium prophylacticum variolarum, multis spes oriebatur, tali modo, quum syphilis naturae benignioris ab homine in animal domesticum transferretur, illud virus minus vehemens hominem praeservare posse a perniciosis infectionis syphiliticae immediatae sequelis. Tempus profecto jam fuerat, quo metus morbi syphilitici remedium salutare contra libidinem habebatur, et quaerere remedium contra infectionem prophylacticum, imo de eo cogitare contra bonos mores pugnare censebatur. Praeterea morbus syphiliticus non solius libidinis effectus est; quoties enim virtus et castitas sunt victimae! Spes tamen illa frustrabatur, quum omnia conamina, ut syphilide animalia afficerentur, male cesserint, donec tandem, anno 1844, Auzias-Turenne prosperius rem gesserit, ad cujus experimenta, syphilisationis ut ita dicam basin, mox redeundum nobis est.

Memoriae proditum invenimus Percy anno 1777 observasse apud duas personas, quae jam diu apto modo sine ullo effectu omnibus remediis contra

inveteratam syphilidem constitutionalem usae essent, nova infectione contracta, symptomata tam vetera quam recentiora evanuisse, ope eorundem remediorum, quae eo usque omni effectu caruerant; his observatis ei in mentem venit necesse esse ut syphilis chronica bono effectu posset curari, eam acutam reddi, id agendum esse ut revivisceret, imo eam renovandam esse, quod ut fieri posset, inoculatio ei bona visa est, quam revera anno 1778 in casu syphilidis inveteratae adhibuit, post quam inoculationem hydrargyro bene applicato omnia symptomata cessarunt. Verum enimvero Percy alia experimenta cepisse non videtur, ipse enim observationem suam appellat „imaginationis delirium.” Alios eum imitatos esse non patet, contra vero aequales in ejus temeritatem vehementer animadverterunt, ita ut totum experimentum in oblivionem abierit.

Quamvis fere omnes eo usque putarent, syphilidem morbum esse homini soli proprium, tamen non desierunt insitionem syphiliticam quaerere. Anno 1849 Diday Lugdunensis curationem prophylacticam contra syphilidem constitutionalem pervulgavit, cui nomen improprium dedit vaccinationis syphiliticae. Diday, gnavus Ricordii discipulus, ejus divisionem syphilidis constitutionalis in symptomata secundaria et tertiaria amplectitur; amborum inoculationem fieri non posse, sibi persuasum habet; symptomata tertiaria ne hereditaria quidem esse existimat. Quando quis sententiam defendit, syphilidem constitutionalem semel tantum in homine oriri posse, ex hujus opinione contra infectionem generalem muniti esse deberemus,

si modo artis opera effectum sit ut virus analogicum in organismo agigaretur. Diday existimabat se hanc materiem analogicam invenisse in sanguine personae e periostitide syphilitica laborantis; et sexdecim personas, quae e syphilide primaria laborabant, inoculavit; omnes intacti a syphilide constitutionali manebant, uno excepto qui ex cancro 1) indurato laborabat; ergo ille ipse, de quo solo secundum Ricordii doctrinam syphilis constitutionalis certe statuenda esset; sic ista experimenta parum satisfaciebant, et inconsequentia doctissimi Diday difficilis explicatu est, qui dum una cum Ricord negat, inoculationem syphilidis constitutionalis fieri posse atque infectionem foetus matris e syphilide tertiaria laborantis rejicit, vim prophylacticam sanguini personae syphilidem tertiariam laborantis adscribere vult.

Interea, ut supra diximus, Auzias-Turenne, medico Parisiensi juniore, tandem, post multa experimenta, quae saepius male cesserant, evenit, ut in similibus per inoculationem puris chancrosi genuinos chancros produceret; inoculationes illae ab Huntero, Ricordio, aliisque sine effectu institutae, ab iisdem negabantur et sodalibus Academiae medicinae Parisiensis discussionum longiorum ansam praebuerunt, quibus Ricord non minori ingenii quam mentis acumine virum syphiliticum in animalia transmitti

1) Voco *chancrè*, quae medio jam aevo vulgo adhibebatur, atque derivanda videtur ex *cancro*, quo ulcus rotundum, marginibus elevatum designabatur, ubique usus sum pro circumscriptione: *Ulcus syphiliticum primum*.

quidem posse concedit, sed ea revera syphilitica fieri negavit, ac symptomata, a nonnullis secundaria habita, adeo acriter perquisivit, ut clarum esset alium modum, quo explicari possent quaerere nequaquam esse inutile. Quicquid est, transmissio viri syphilitici ab homine in animalia et ab animalibus in hominem, prouti Doct. Welz clare de se ipso demonstravit a syphilidologis praecipuis ad hoc usque tempus frustra tentata, ab Auzias-Turenne facta erat, et post observationem, ab illo medico repetitis experimentis factam, primum syphilisationis fundamentum factum est.

Observationibus illius factum memorabile proditum est, quemque scilicet chancrum sequentem inoculatione productum praecedenti minorem esse, donec per tempus inoculatio vim suam amisisse videatur, et nec chancri, neque ulcera cujusvis naturae oriantur. Eadem observatio etiam a Sigmund, professore Viennensi, facta erat, cui quoque evenerat syphilidem in animalia transferre atque in his eadem syphilidis exanthemata producere, cujus experimenta tamen nondum in lucem prodita sunt. Turenne vero e suis experimentis hanc fecit conclusionem, si quis continuaret virus syphiliticum sibi inserere tandem conditionem orituram esse, in qua corpus non amplius capax foret, ut syphilide afficiatur, quam conditionem voce *Syphilisationis* nominavit.

His observationibus aliisque factis persuasus, animo excelso doctrinam composuit, quam d. 18. m. Nov. a. 1850 Academiae sodalibus proposuit. Tunc temporis pauca tantum inoculationis experimenta in hominibus fecerat et sedulo studens, ut theoriae existenti aliam

eamque novam opponeret, multas creavit hypotheses, quarum haec, quippe contra bonos mores pugnantesi illae, quippe minus perpensae, adversariis totidem impugnandi opportunitates praebuerunt. Inter alia proposuit syphilisationem non solum pro methodo curandi in morbo syphilitico primario et constitutionali adhibere, verum etiam praecipue eam commendavit quoniam remedium contra infectionem syphiliticam esset prophylacticum; quare, secundum eum, omnes inoculandi erant, qui infectioni expositi sunt, et quum ejusmodi infectio cuique plus minusve immineat, ejus propositum eo redibat, ut totum genus humanum inoculandum esset. Quale propositum, ut temerum et contra bonos mores pugnans, omnium indignationem excitare debuit, et effecit, ut etiam reliquis, quae Auzias-Turenno in lucem prodiderat, quaeque revera haud parvi momenti erant, fides negaretur.

Disceptationes, in Academia medicinae Parisiensi, pluribus vicibus hac de doctrina sedulo et diserte habitae, magis eo ducebant, ut variae opiniones de nonnullis partibus doctrinae syphilidis illustrarentur aut impugnarentur, ut syphilisatio a bonis moribus aliena demonstraretur ideoque reprobaretur, quam ut rite perquireretur, quid verum ceterae partes novae methodi continerent; unica imo via veritatem explorandi, accurate experimentari et experimenta repetere in censum non veniebat; experimenta quae in favorem syphilisationis loquebantur, silentio praetermittebantur aut perperam explicabantur, et omnia, quae contra militare videbantur vel revera ei adversa erant, ex-

tendebantur. Praeterea experimenta pauca erant, quum enim doctissimo Auzias-Turenne roganti, ut sibi liceret in hospitio *St. Lazari* experimentari, recusatum esset, contentus esse debebat iis afferendis, quae praxis civilis eum docuerat, quae ex rei natura rara atque vix absoluta erant.

Licet Malgaigne, Depaul, aliique pauci in Academia Franco-Gallica sententiae resisterent, quae syphilisationi condemnationem mox secuturam minabatur, licet notum esset in Italia plura experimenta, secundum novam methodum, tunc institui et jam experimenta quaedam, quibus eventus favebat, inde relata essent, tamen Ricord, qui tunc et in Francia et apud exteros summa auctoritate quoad syphilidis doctrinam gaudebat, effecit ut major Academiae sodalium pars in ejus sententiam iret, syphilisationem scilicet èt tamquam prophylacticum èt tamquam methodum curandi absurditatem esse; talis erat factio, in quam fortasse illud dictum „*malo cum Galeno errare, quam Harveji veritatem agnoscere*” quadrat, quae capite damnavit syphilisationem, et hoc quidem reo inaudito. Ne denuo experimenta fierent vetabant, quique jam iis operam navabant, sicuti Marchal de Calvis ab iis desistere jubebantur; sic adversarii victoriam reportabant, hoc tamen praeterviso non judicem jus facere.

Per seculum jam inoculationem materiei syphiliticae studio morborum venereorum applicaverant, sive ad demonstrandum virus syphiliticum exsistere, sive ad discernendum inter morbos syphiliticos aliosque, sive inquirendum utrum symptomata syphilidis constitutio-

nalis contagiosa essent an non, sive ad investigandum utrum syphilis solummodo generi humano esset propria, an in bestias quoque transfundi posset. — Fricke Hamburgensis, quum versaretur in experimentis de inoculatione faciendis, se observasse putabat chancros arte productos, ordine decrescere, et post inoculationem sextam non amplius oriri; sed a Ricordio persuasus se deceptum esse, ab opinione sua destitit. Licet doctissimo Auzias-Turenne honos tribuendus sit, quod ille transmiserit syphilidem ab homine ad animalia, inque iis animadvertisse chancros decrescere, tamen procul dubio Sperino tribuendum est id, quod nos sperare possumus, fore ut in syphilisatione methodum curandi quaerere possimus.

Sperino, Syphilicomio Taurinensi praefectus, jam diu observaverat, bubones magnos suppurantes citius curari, quum quis, ut eorum indolem virulentam nosceret, in circuitu inoculationes fecisset, et praeterea quo majores amplitudine chancri emerent, quo diutius durarent, eo minus bubones crevisse et adolevisse; uno verbo, quo diutius morbus localis esset, eo minorem fieri syphilidis constitutionalis metum; denique meretrices, quae juventutis et pulchritudinis causa plus quam aliae infectioni obnoxiae essent, ideo tamen nequaquam majori parte syphilidem constitutionalem ostendere; quibus factis nitens et de observationibus viri doctissimi Turenne certior factus, Sperino m. Januarii a. 1851 prima in homine experimenta capere ausus est.

Experimenta, quae haud intrepide ceperat, mox,

licet multa impedimenta devincere deberet, effectus adeo felices praebuerunt, ut jam, d. 23 m. Maii a. 1851 in Academia medicinae Taurinensi de iis referre posset, de 52 casibus, in quibus Syphilisatione usus erat.

Academia Taurinensis deinde delegavit, qui investigarent, quid Sperino fecisset, et qui experimenta ei capienti adessent.

Haec commemoratio, cum Franco-Gallicis communicata, non melius recepta est, quam quae ab Auzias-Turenne tradita erat. Cazenave et Diday solummodo de ea disseruerunt, ceteri fere omnes ne hoc quidem pretio dignum putarunt, vel sic commemorarunt, ut eam damnarent. Atqui in Italia, ubi quoque ut cogitari potest syphilisatio adversarios inveniebat, erant medici, inter quos Mottini, Zelaschi, Galligo, Gamberini nominandi sunt, qui audacter novam methodum adhibuerunt, et in genere effectus haud deteriores quam Sperino invenerunt. Sperino vero interea capiendo experimenta continuavit, et tantum delegatorum iudicium expectavit, qui ejus experimenta observabant, ut effectus et de syphilisatione sententias in lucem tradere posset. Quum horum iudicium in dies differretur tandem Sperino, anno 1853, opus principale 1) de syphilisatione edidit, in quo, praeter aliquot de syphilidis symptomatibus controversias,

1) La Syphilisation étudiée comme méthode curative et comme moyen prophylactique des maladies vénériennes par C. Sperino. Traduit de l'italien par A. Trésal, 1853.

enucleate casus 96 descripsit, in quibus syphilisatione usus est. Praeterea in hoc libro tractavit omnia, quae hucusque pro et contra syphilisationem in medium prolata erant. Ut postea Auzias-Turenne, Sperino etiam opinionem reliquit syphilisationem adhibendam esse ut prophylacticum; in morbo primario nequaquam sine restrictu commendat, in syphilide constitutionali tamen inprimis laudat.

Interea vero anathema, ab Academia Parisiensi de syphilisatione pronunciatum, scopum tetigisse videbatur, Sperino enim laesus et impeditus a viris tam popularibus quam peregrinis sibi propositi syphilisationem in posterum tantum in casibus syphilidis constitutionalis vehementioribus adhibere, donec aliquis syphilidographus celeberrimus observationes ejus probasset et defendisset. Sic igitur tota syphilisatio paullatim in oblivionem abitura videbatur, ita ut nuper quidem Lebert eam pertinere ad historiam ingenii humani aberrationum dicere ausus sit.

In regionibus tamen septentrionalibus interea syphilisationis commiserati erant. Boeck, professor Christianiae in Norica, experimentis medici Sperino cognitis, novam illam methodum adhibuit felici eventu in casu desperato syphilidis tuberculosae, quem morbi casum, in quo, inde ab d. 10 m. Augusti a. 1853 usque ad d. 18 m. Augusti a. 1854 non minus quam 1224 inoculationes fecerat, primum anno 1855 commemoravit in opere de morbis cutaneis, quod ille et Danielsen ediderunt. Bono hoc eventu ductus, in Nosocomio syphilitico Christianiensi modo magis aucto experimenta repetiit, et quamvis in

nonnullis momentis, ut postea demonstrabimus, a Sperino differat, tamen effectus adeo felices nactus est, ut cum Societati medicinae Christianiensi adscriptis per hiemem a. 1856—1857 eos communicare posset. Nec minus ibi quam Parisiis questio de syphilisatione, jam diu tractata, longiorum disceptationum occasionem praebuit; inde a mense Novembri usque ad m. Junium occupati erant non solum in Boeckianis experimentis, verum etiam in omnibus, quae antea pro et contra in medio allata erant a Ricord, Turenne, Latour, Sperino, Sigmund, Thiry, Didot, Sternberg, aliisque. Boeck tandem illud gaudio fuit, quod plerosque adversarios ejus sententias amplecti videret.

Per quinquennium Boeck experimenta cepit in casibus circiter 200; sustinet syphilisationem non solum esse remedium absolutum contra syphilidem constitutionalem, sed etiam praebere novae infectionis immunitatem. In Norica ut et alibi duae factiones opinionem a Boeckiana diversam sequuntur; haec, cui Taye, artis obstetriciae professor, principalis Boeckii adversarius, praeest, syphilisationem omni casu respuit; illa Boeckianae sententiae quidem veritatem quandam inesse putat, sed de immunitate temporali vel partiali dubitat.

Praeter Boeck, Carlson, Sternberg, Danielsen in syphilisatione tractanda versatus est, cujus observationes Bergis factae, nondum tamen in lucem editae, teste Lindsay nequaquam a Boeckianis recedunt.

Aliis in regionibus syphilisatio, quoad nobis cog-

nitum est, aut non adhibita est, aut dejecta est post primos effectus infelices. In Britannia primum de ea locutus est Murchison, qui tempore cum Sperino experimenta prima caperet Augustae Taurinorum erat, deinde Lindsay, qui mense Augusto a. 1857 Christianiae fuerat; tandem Boeck et Taye ipse per Britanniam iter facientes, Edenburgis et Dublin pro et contra suam opinionem de ea diversam protulerunt, sed hucusque nulli medici Britannici propria experimenta fecerunt.

In Belgia vero Thiry Bruxellensis rem aggressus est, et post aliquot malos eventus syphilisationem rejiciendo contentus fuit; interea nobis hinc memorandum est, Belgas alium commodum e materiae syphiliticae inoculatione petere voluisse; e vestigio scilicet doct. Alquié, qui in carcinomate labii pus chancrosum adhibebat ut organisationi aliam tensionem daret Thiry et Didot 1) haud alia proposuerunt in Academia Belgica; hucusque eorum eventus hoc quoque modo infausti fuerunt; at vero quaestio otiosa non est, an non propria materies, quae in variis tumoribus nascitur, per insitionem alius fortioris ejusmodi corporis, quod tamen curationi magis idoneum est, opprimi potuerit.

Denique nobis restat commemorare, testibus praefectibus navium Franco-Gallicarum 2), syphilisatio-

1) Nouvelle Encyclopedie belge, Novembre 1851.

2) Journ. des Coun. medic, 20 Oct. 1857. Lettre de M. Guépin de Nantes à M. le Dr. Caffé. La syphilisation se pratique dans certaines parties de l'Inde sur une très grande échelle, et comme moyen préventif et comme moyen curatif; souvent les prosti-

nem in India Orientali jam dudum cognitam fuisse videri, ibique meretrices ejus usum satis multum adhibere, non solum tamquam methodum curandi, sed etiam prophylaxeos ergo; certe tamen modum, quo ea utuntur, nescimus.

tuées de l'Inde offrent à nos marins de les syphiliser. Ceux-ci s'y refusent toujours, se défiant de tout moyen, qui n'est pas pratiqué en Europe. L'officier de marine qui a donné ces renseignements, a eu la curiosité de voir quelques-unes des femmes qui avaient proposé à ses marins de les syphiliser et il n'a remarqué sur leur corps aucune maladie de peau, aucune cicatrice de bubon. Ce fait est d'autant plus important, ajoutait-il, sans savoir que la syphilisation avait été réinventée en France, que les maladies syphilitiques contractées dans l'Inde sont excessivement cruelles, et que les Français qui en sont atteints succombent très souvent, ou ne se guérissent que lentement et après s'être soumis aux traitements les plus habiles, les plus méthodiques et les plus énergiques.

QUID EST SYPHILISATIO, QUANDO ET QUOMODO ADHIBENDA.

Historiam therapiae syphilidis investigantibus, atque specifica sic dicta remedia magno numero adesse comperientibus, specificum verum nondum repertum esse, iis statim manifestum fit.

Quando quis quaerit de causis, ob quas jam priscis temporibus medicamenta, quae organismo minus nocerent quam jam nota, atque curationi magis idonea forent, desiderarentur, aliam nominamus medicamentorum numerum et diversitatem, quae in adhibendo magis adhuc eminebant, aliam, quod idem medicamentum hodie laudibus efferretur, cras vero respueretur, aliam, quod satis nocua essent ea, quae omni adhuc tempore maxime valuerant.

Nullum eorum medicamentum scopum tetigit, ne jodetum kalicum quidem, cui alioquin Wallace adeo feliciter in therapia syphilidis locum assignavit, quodque, licet in multis syphilidis constitutionalis

casibus inaestimabile habendum, tamen spem quam, simulac inventum fuit, multi favebant, non prorsus replevit.

Eandem ob causam nemo profecto negabit hydrargyri, cui in syphilide curanda magna vis tribuenda est, effectum saepe incertum esse, interdum symptomata syphilitica hydrargyro rite administrato remota quidem videri, sed post aliquod tempus acutiores in modum sese ostendere, e parentibus, qui hydrargyro apte adhibito a lue generali liberati videbantur, interdum, liberos nasci syphilidis symptomatibus valde manifestis comitatos.

Re sic se habente novam methodum adhibere optimo jure licet, praesertim si ea talis est, quae eventus haud infelices praebuit, licet absurda videatur et non intelligamus, quomodo vim exerceat.

Primo loco nobis agendum est de eo, quid sit syphilisatio, deque theoriis ad ejus vim pertinentibus, ut deinceps modum adhibendi atque casus, quibus ea convenit ex auctorum opinione, commemoremus.

Definire quid voce *Syphilisationis* intelligendum sit, est quaestio ad quam non omnes hodie jam uno modo respondent.

Auzias-Turenne primus hoc verbo usus est, syphilisationem dicens 1.) „Un état de l'organisme, dans lequel celui-ci n'est plus apte à subir l'évolution de la syphilis, par suite d'une sorte de saturation

1) De la Syphilisation ou vaccination syphilitique, par le docteur Auzias-Turenne (Archives générales de médecine, Juin, Juillet et Aout 1851).

syphilitique", vel sicuti postea ait 1.) „Je définis la syphilisation un état de l'organisme, qui résulte d'une succession d'inoculations, ou de contaminations syphilitiques, dans lequel cet organisme n'est plus apte à contracter la syphilis."

Eodem modo Boeck per syphilisationem conditionem intelligit, in quam organismus inoculationibus iteratis redactus, denuo eas recipiendi capax esse desiisse videtur; at vero hanc definitionem objectionibus ansam praebere posse concedit, merito deinceps addit non magni momenti esse verba, quibus utimur, si modo, quatenus res iis significetur, accurate sciamus.

Sperino vero voce syphilisationis in alia significatione utitur, doct. Auzias-Turenne definitionem improbens, quum syphilisatio non esset, nisi operatio ipsa, qua quaedam inoculationes syphiliticae peraguntur; atque prouti vaccinatio non significat statum illum organismi, in quo vaccinatus versatur, sic etiam syphilisationis nomen non convenit conditioni ejus, qui syphilisatus est.

Quum praeterea viri syphilitici natura ejusque in organismum vis aequae lateant ac vaccinae, nobis constat syphilisationis definitionem nondum dari posse, et cum Sperino eam circumscribente libenter facimus:

Virus syphiliticum diu iterato et sine intervallis inoculare, donec organismus, syphilide affectus, conditiones physiologicas recuperet, et in posterum

1) Cours de Syphilisation, par M. Auzias-Turenne; première leçon, (Gazette médicale de Toulouse, février 1852).

inoculationibus ejusmodi idoneus esse desinat, hoc syphilisationem efficere.

Hoc sensu syphilisationis nomine nos utimur.

Ad hunc usque diem nemini evenit syphilisationis actionem modo satis claro exponere, quamvis multi theoriis statuendis operam navarint.

Bocck propensus esse videtur ad repetendum e viri actione *isopathica* bonos inoculationis processus eventus, qualis actio nobis in memoriam revocat sententiam „similia similibus” — idem ergo virus, quod morbum creavit, eum deleret; ipse Sperino, qui in praesenti bonam syphilisationis theoriam proponere inter pia vota inprimis refert, viri actionem duplicem esse ostendit, cujus differentia cognoscitur, quando organismus plus minusve viri continet, et animadvertit, quum majore quantitate adest in sanguine modificationem fieri posse, modificationi ex minore quantitate oriundae prorsus oppositam.

Taye, Boeckii adversarius principalis, vocem syphilisationis remotam vult habere, curatio apud eum suppuratio depurativa et inoculatio chancrorum curativa audit (depurative suppuration; curative chancre-inoculation). Alii contra existimant organismum viro syphilitico saturatum esse, quum nullo modo plus viri sufferre possit; alii vero loquuntur de vi *dynamico-organica* (dynamo-organic action), sive de affectu peculiari in systemate nervoso facto aut allato; alii denique modum operandi pro *actione revulsiva* habent, quae a cutis *irritatione revulsiva* dependet (revulsive action; counter-irritation).

Lites de variis his considerandi modis decernere

nos non audemus, neque valemus alio meliori modo actionem syphilisationis explicare; forsitan praestat, prouti res nunc se habet, de iis omnes opiniones mittere, nec nimis in quaestione haerere, *quomodo* syphilisatio prospere succedat; sed melius nobis videtur investigare, *utrum bene cedat* et quaerere, in quibus casibus hoc obtineat.

Observationes et experimenta, quae Sperino et Boeck in suis libris accurate et secundum veritatem descripserunt, hanc quaestionem, ut existimamus, satis clare solvunt.

Primo loco ad medicum Italicum revertamus.

Postquam Auzias-Turenne observaverat chancros apud animalia, in quibus syphilisationem adhibebat, semper imminui, non solum quoad magnitudinem, sed etiam quoad temporis spatium, persuasum sibi habuit, ea viro syphilitico in dies minus obnoxia fieri, ita ut, quum tandem inoculatio chancros nullos produceret, incapacitatem prorsus partita esset, unde theoriam suam deduxit syphilisationem tamquam prophylacticum adhiberi posse. Sperino autem intellegebat, antequam quis posset sperare, fore ut contra syphilidem ut prophylacticum adhiberi posset, ante omnia studio id efficiendum esse, utrum symptomatum syphiliticorum medicamentum esset an non, quare experimenta cepit de personis, quae e variis syphilidis affectibus laborabant, eo fine, ut manifestum fieret

- 1°. syphilisationis ope syphilidem primariam curari;
- 2°. syphilisationem valere ad symptomata constitutionalia removenda;
- 3°. syphilidem constitutionalem eam posse praevenire; atque
- 4°. in posterum ab infectione

defendere posse. In 96 aegris, quarum 53 e symptomatibus primariis, 43 e constitutionalibus laborabant, omnes fere modo admodum vehementi, syphilisationem adhibuit; varias ob causas syphilisationem 8 vicibus in curationem per hydrargyrum mutavit, in 2 casibus syphilisationem ad finem perducere non potuit propter mortem subsecutam, in uno propter morbum supervenientem; durante syphilisatione apud 10 jodeto kalico usus est: ita ut tandem 72 remanerent, quae secundum novam methodum prorsus tractabantur, eaeque sanae redierunt. — Quaestiones igitur duas priores satis solutas esse vidit, quod vero pertinet ad vim, quae syphilisationi tribuitur syphilidis constitutionalis praeveniendae, etiam hoc ei persuasum est. Non aliter quam plerique syphilidologi Sperino existimat symptomata syphilidis constitutionalis e regula ante finem mensis sexti, post symptomata primaria, sese ostendere; in nonnullis tamen casibus post longius tempus quidem, sed semper intra annum. Quum vero ipse aegras syphilisationis ope sanatas per sex menses, imo ad mensem vigesimum secundum usque observare solitus esset, et apud tres tantum syphilidem constitutionalem animadvertit, quarum duae non ad saturationem usque inoculatae erant, quum in tertia chancros non nisi parvos arte producere potuisset, multaeque inoculationes omni effectu caruissent, syphilisationem prophylacticum et contra syphilidem constitutionalem esse judicat.

Alia tamen quaestio manet an illa immunitas duratura sit, aliis verbis an syphilisatus a contagio in

posterum defensus foret. Sperino, observationibus ductus, etiam hoc verum esse opinatur sed certitudinem post tempus et facta demum adesse posse concedit; causam, ob quam in nonnullis casibus constans, in aliis vero temporalis sit tam difficilem explicatu autumat, quam rationem dare, quare idem in vaccinatione obtineat; nobis autem opus Cl. Boeck recensentibus huc redeundum erit, nunc vero aliquot casus, a Sperino descriptos, commemorare libet.

OBSERVATIO II.

*Chancri ano-vulvares extensi, paululum indurati.
Syphilisatio. — Sanatio.*

Theresa V. 22 annos nata, temperamentum bilioso-lymphaticum, constitutionis bonae, menstruis bene purgata, Syphilisatum d. 20 m. Aprilis, a. 1851 intravit.

Affecta est chancro extenso, 4 fere centimetros largo, qui in vaginae introitu exstans admodum profunde ibi intrat; in labio majore dextro e tribus aliis paulum inflammatis et induratis laborat, a 4 usque ad 6 centimetros largis. Infectio ejus jam duos menses duravit; est prima quam contraxit, et hucusque nullo remedio usa est.

21 April. — 4 inoculationes instituuntur, quarum 2 ex pure ejus chancri propriis, in regione abdominali; d. 25 ejusdem mensis 4 pustulae observantur.

22 Maii. — Curatio suspensa est ob accessum febris intermittens, cui aegra admodum expositam se esse dicit. Chancri arte producti dolorem praebent, 15 mm. largi sunt et magnam puris virulenti copiam sejungunt. Chan- cer vaginalis sanari incipit, et duo e tribus, qui in ma-

jori labio dextro exsistebant, prorsus in cicatrices transierunt.

Fiunt 4 inoculationes et d. 29 adhuc tres, pus ex ejus chancris arte productis adhibetur; 7 pustulae oriuntur.

D. 3 m. Junii. — Chanceri in vagina magnitudo sensim paulatimque decrescit; ceteri chanceri vulvares sanati sunt. Priores chanceri artificiosi, qui 2 centim. largi sunt, nunc granulationibus rubri coloris obsessi sunt; adspectum virulentum non amplius ostendunt; induratio evanuit.

Fiunt 2 inoculationes et tres d. 7, pus ex ejus chancris sumitur; 3 tantum pustulae oriuntur.

D. 16 m. Junii. — Chanceri, qui 21 Aprilis inoculatione producti sunt, in cicatrices transierunt jam ante 3 dies; qui vero die 22 Maii eodem modo producti sunt decrescere incipiunt; 15 fere mm. largi sunt; in iis, qui d. 29 producti sunt, aliquot granulationes videre licet, et vix unum centim. largi sunt. Manent adhuc 3 chanceri, qui in statu progrediendi versantur; qui in vagina exstat fere ad nihilum reductus est.

Tres inoculationes fiunt et duae d. 20. Totidem oriuntur pustulae.

2 m. Julii. — Non restant nisi 2 chanceri, 4 mm. largi; ille in vagina in cicatricem transiit.

Pus de alia muliere sumtum ter inoculatur, quoties pustulae producentur.

7. — Mucopus blennorrhagicum de alia persona sumtum tribus locis inoculatur; — d. 9 animadvertuntur 2 papulae parvae, quae jam d. 12 disparuerant; nullum symptoma syphiliticum in loco, quo haec inoculationes factae sunt, observari potuit.

9. — Fiunt 2 inoculationes; 10. — quatuor; 11. — tres, quarum perficiendarum causa pus e chancris arti-

ficiosus alius mulieris adhibetur; 6 pustulae oriuntur, quarum 4 sanantur antequam eruptae sunt, duae vero ulcerant, sed 8 aut 10 diebus post inoculationem factam in cicatrices transeunt.

19. — Ab hoc inde die usque ad 5 d. m. Aug. per 5 vices 24 inoculationes factae sunt, quibus pus e chancri aliarum aegrarum arte productis, qui jam in statu progrediendi erant, sumtum adhibetur; numquam autem aliae pustulae productae sunt, quam abortivae, quae non longius quam 3 aut 4 dies durarunt; 3^o die post inoculationem institutam, vestigium ejus vix discerni potuit. Tres ex his 23 inoculationibus in regione interna labii dextri factae sunt, at sine ullo effectu.

d. 8 m. Aug. — Aegra Syphilicomium exit; ejus valetudo in conditione versatur, quae nihil desiderandum habet, curatio per tres menses et dimidiam partem duravit, quibus si 2 menses, per quos infectio ante receptionem in nosocomium jam exstiterat, annumeres, facit hoc 5 menses et dimidiam partem inde a tempore infectionis primitivae, dum nemo syphilidis constitutionalis symptomata animadverterit.

Animadversiones.

1. Inoculationes priores parvo numero longis intervallis factae chancros largos profundos longaeque existentiae produxerunt.

2. Chancer in vagina, licet valde extensus esset et in loco cicatrizationi haud idonea exstaret, tamen brevi tempore sine curatione locali sanatus est.

3. Quamvis numerus chancrorum arte productorum haud adeo magnus fuerit, tamen, ratione habita chancrorum vulvo-vaginalium largitudinis et temporis quod

durabant atque eorum, qui post priores inoculationes oriebantur, decursu curationis regulari atque eo quod inoculationes inde a medio m. Julio factae sine effectu manserunt ductus, credit Sperino hanc mulierem prorsus syphilitatam esse.

OBSERVATIO VI.

Chancre in urethra existens, callosus, extensus; tota fere urethra jam plus quam 21 menses destructa. — Curatio per hydrargyrum et jodium pluribus vicibus tentata, sed frustra, item cauterisationes locales. — Syphilitatio. — Sanatio.

Francisca S., 35 annos nata, temperamentum lymphaticum, constitutionis mediocri, menstruationis saepe irregularis, recepta est d. 10 m. Junii a. 1850 in Syphilicorium, jam per 6 menses ex amenorrhoea laborans.

Chancre in urethra affecta est, qui canalem illum pro dimidia parte destruxit; est durus, callosus, paulumque dolorosus. Infectio ejus jam plus quam annum adest estque ea secunda; ante 16 annos affecta fuit chancre, quem simplici curatione locali sanatum, nullum infectionis generalis symptomata secutum est.

Circa medium mensem Junii, a. 1850 hydrargyro et jodio usa est; ad 40 usque frictiones factae sunt, et jodeti kalici usus factus est usque ad quantitatem quae 12 grammis respondet. Hac curatione durante chancre urethrae pluribus vicibus cauterisatus est nitrate argenti, nitrate hydrargyri acido, imo pars ejus exsecata est. Mense Augusto ad finem currente, conditio nullo modo melior evaserat; stomatitis intensa sese ostenderat, omnis tractatio per hydrargyrum et jodium suspendebatur, et de tempore in tempus tantum chancre

cauterisabatur. Quum plus quam mensem sic quieverat, protojoduretum hydrargyri ei administratum est, cujus 110 centigr. usa est in 55 pilulis; at illud remedium causa erat gastro-enteritidis cum diarrhoea complicata, quare ab ejus usu denuo desistere necesse fuit. Per spatium igitur 3 mensium curatio cessavit et quum initio m. Januarii a. 1851 chancer examinaretur, eum se extendisse inprimis a parte sinistra, atque urethram prorsus fere usque ad introitum internum destructam esse patet.

Denuo igitur hydrargyrum administrare instituerunt et 26 frictiones fecerunt. Quum autem ad finem m. Febr. hunc conatum non melius quam reliquos processisse viderent remediis et medicamentis omnibus finem posuerunt et inoculare coeperunt.

D. 3 m. Martis. — Duae inoculationes pure chanceri in urethra fiunt tamen sine effectum; duae vero aliae pure de alia muliere sumto duas pustulas produerunt.

D. 20 — Chanceri artificiosi satis extensi sunt, multum puris dant; illud pus inoculatur d. 20 in duobus, d. vero 24 in tribus locis, et semper pustula characteristica oritur.

D. 3. m. Aprilis. — Chancer urethrae nondum manifeste melior factus est, at progressum facere desiit.

Duo chanceri artificiosi priores largitudinem fere 2 centim. habent, et adhuc in transformationis periodo versantur. Quinque reliqui minus extensi sunt.

Ab hoc inde die usque ad 17 m. April. in 5 vicibus 16 inoculationes fiunt, semper bono eventu; attamen chanceri unus post alium decrescunt.

D. 21. Chancer vulvo-urethralis granulosis est; pus e chancris artificiosis propriis aegrae bis inoculatur, post quod 2 pustulae sequuntur.

D. 20 m. Maii. — Mulier dicta, quae jam per 18 menses dysmenorhoea laborat, singulis menstruationis tem-

poribus perturbationes varias patitur, tunc in hoc, tunc in illo organo. Ad finem m. Aprilis affecta erat congestione uteri, ex eadem causa orta, quae tamen duabus venaesectionibus factis et hirudinibus in regione hypogastrica applicatis victa est. Per illud tempus inoculationes intermittebantur, quibus nunc tamen pergitur.

Chancer vulvaris bonum adaspectum retinet et decrescere incipit. Chanceri artificiosi omnes sanati sunt; in abdomine cicatrices reliquerunt, quarum amplitudo minor minorque fit. Quae minimae sunt, sunt 4 vel 5 mm.

Tres inoculationes puris de muliere hoc die in nosocomium recepta sumti sine effectu manent.

In duobus locis d. 22 experimentum repetitur; in tribus d. 26 et d. 31, semper pus virulentum adhibebatur; 8 pustulae acquiruntur, quae postquam eruptae sunt, chancrum verum syphiliticum ostendunt.

D. 7 m. Junii. — Chancer vulvo-urethralis in cicatrisationem transire pergit. Chanceri posterioribus inoculationibus producti minorem dolorem praebent et haud multum extensi sunt.

Inoculationes fiunt tres, quas tres pustulae sequuntur. Fiunt d. 12 tres et d. 16 duae, sed tres tantum parvae pustulae producuntur, quae d. 24 jam exsiccatae erant.

Duae inoculationes puris chancrorum artificialium de alia muliere duas pustulas gignunt.

D. 20. — Chancer vulvo-urethralis prorsus fere in cicatrisationem transiit. Quinque chanceri artificiales hiscentes adhuc supersunt; tres eorum ad inoculationes d. 7. h. m. factas, duo ad anteriores pertinent. Pustulae quae post inoculationes d. 12 et d. 16 factas ortae sunt prorsus fere exsiccatae sunt. Fiunt 2 inoculationes pure e chanceris artificiosis alius mulieris sumto, 2 pustulas producunt.

D. 1. m. Julii. — Post febris periodicae tres accessus chancrici duo d. 20 m. Junii arte producti, inflammati sunt, atque dolorosi. Obligabantur unguento refrigerante et cataplasmatibus emollientibus. Reliqui chancrici artificiosi omnes sanati sunt.

Duae inoculationes puris virulenti, d. 7 repetitae omni effectu caruerant.

D. 7. — Chancro vulvo-urethralis perfecte sanatus est; non restant nisi quaedam fungositates urethrales.

D. 13. — Febris redit; complicata est cum gravi cephalalgia; sulphas chinini parva dosi administratus eam fugat. D. 16 m. Aug. — Aegra per aliquot tempus inoculationes recusavit, dicens se esse sanatam, et revera eius valetudo multo melior evanit. Hoc vero die experimenta continuantur et in abdomine 8 inoculationes factae sunt; eodem numero d. 22; semper pus e chancro in statu progrediendi versante adhibetur, at semper eventus nullus est.

Urethrae canalis leviter cauterisatur ut fungositates dispareant.

D. 5 m. Sept. — Aegra Syphilicomicium exit; valetudo ejus est optima. Per duos jam menses bene menstruis purgata est. In nosocomio mansit 15 menses et 25 dies. Curatio incepta demum est, postquam annus morbus duraverat, et tamen nullum infectionis constitutionalis symptoma se ostendit. In abdomine cicatrices magno numero adsunt; duae sinistrae in regione iliaca duos fere centim. quatuor dextrae ab 8 usque ad 12 m.m. magnae sunt. Omnes porro reliquae multo minores sunt.

Animadversiones.

Hujus observationis ratione animadvertendum est:

1°. Chancros duos artificiosos priores, longo tempore

inoculationibus non repetitis, admodum magnos factos et inflammationem intensiorem ibi ortam esse. In reliquis contra amplitudo celeriter diminuebatur.

2°. Morbos febriles saepe causam esse, ob quam chancra accrescant et nimis inflammentur, ratione nempe habita gradus syphilisationis in quo aeger inoculationis tempore versatur.

3°. Quo syphilisatio majores progressus habebat, eo meliorem conditionem universalem fieri; ita ut menstruatio, quae per 20 jam menses defecerat, duos menses posteriores profusa esset.

4°. Quamvis longum tempus quod chancra adhaerens et hydrargyrum vario modo administratum in hac aegra debilitatem produxisset, tamen syphilisationem nullo incommodo conjunctam fuisse.

5°. Forsitan causam tribuendam esse longo temporis spatio, quod chancra vulvaris affuit ejusque amplitudini, ob quam inoculationes numero quodammodo parvo suffecerint ad hanc mulierem syphilisandam, licet fibrae mollis et temperamenti lymphatici esset.

6°. Pustulas abortivas, quae vulgo ad finem syphilisationis observantur, in hoc casu defecisse; unde conjicit Sperino syphilisationem non continuatam esse ad immunitatem usque, nam malus eventus posteriorum inoculationum pendet fortasse a causis ab aegra alienis.

OBSERVATIO XCIV.

Psoriasis valde confluens. — Iritis levior durante curatione syphilisante. — Syphilisatio. — Sanatio.

Charlotta F., 18 annos nata, temperamenti sanguineo-lymphatici, constitutionis bonae, per duos menses non, ad illud tamen tempus menstruis bene purgata, Syphilicorium intravit d. 18 m. Sept. a. 1852.

Affecta est psoriasis ita confluenta ut tota fere cutis ea obsessa sit; alopecia praeterea laborat.

In fine mensis Aprilis coitum exercuit, qua occasione in fossa naviculari sibi chanerum contraxit, qui post mensem evanuit. Inde ab aliquot diebus angina affecta est, verum amygdalum sinistrum solum tumet. Psoriasis jam per 28 dies adest. Aegra numquam adhuc tractata est. D. 20 m. Sept. -- Purgans salinum datur. In thoracis regione sinistra 4 inoculationes fiunt puris ex chaneris recentibus in ano mulieris cujusdam oriundi: oriuntur duae pustulae. -- Denuo d. 21 pus inoculatur e chaneris vulvaribus recentibus alius personae: sine effectu. D. 23 m. Sept. tres fiunt inoculationes, d. 25 quinque, d. 27 quatuor, d. 29 quinque, partim in brachiis, partim in thorace. Primum adhibetur pus e chaneris vulvaribus oriundum, deinde e chaneris artificiosis: pustulae 14 producuntur.

D. 7 Oct. -- Chaneri d. 20 m. Sept. inoculati unum centim. magni sunt, jamque adspectum granulosum habent. Omnes reliqui in statu progressionis versantur. Qui d. 23 inoculati sunt pure e chanero artificioso alius mulieris maximi sunt. Exanthema minime melius fit. Decem fiunt inoculationes, quae 6 pustulas producunt.

D. 26 m. Oct. -- Psoriasis decrescit, item alopecia, conditio universalis bona est. Menses nondum apparuerunt. Omnes chaneri in stadio reparationis versantur. Tantum ii, qui ultimum inoculati sunt, virulenti sunt. Chaneri in brachiis omnium maximi sunt. -- Quatuor inoculationes fiunt et d. 30 tres, semper in regionibus thoracis pure ab aliarum mulierum chaneris artificiosis adhibito. Totidem pustulae prodeunt.

D. 4 m. Nov. -- Psoriasis semper diminuitur, alopecia disparuit, conditio universalis melior evadit, per ultimos

dies balneorum usus adhibitus est. — Tres inoculationes fiunt et d. 8 quatuor pure e propriis ejus chancris. Priores tantum effectus habent.

D. 10 m. Nov. Tres inoculationes fiunt in brachio sinistro, et 6 d. 13 partim in brachio dextro, partim in thorace pure e chancris artificiosis alius mulieris adhibito; 9 pustulas parvas producunt.

D. 19 m. Nov. — Chanceri qui d. 26 et 30 Oct. inoculati sunt in cicatrices transierunt; omnes reliqui sunt in stadio sanationis. Psoriasis decrescere pergit et multis jam locis prorsus disparuit, tres inoculationes pure e bubone virulento oriundo, instituuntur; dant tantum unam pustulam abortivam. — 6 inoculationes quae pure e Chancris artificiosis oriundo d. 21 factae sunt, 6 pustulas parvas producunt, quae die 12^o jam sanatae sunt.

D. 30 m. Nov. — Die 25 h. m. iritis syphilitica levior oritur, contra quam extractum belladonnae adhibuitur est, praeterea in abdomine et thorace 9 inoculationes fiunt, pure aliarum aegrarum adhibito: 8 pustulae gignunt.

D. 7 m. Dec. — Iritis decrescit, cutis desquamatur et colorem ordinarium ostendit. Pustulae ultimae inoculationis parvae sunt atque dolorem fere nullum creant. Octo inoculationes in thorace, pure e chancris artificiosis alius mulieris adhibito, factae totidem pustulas producunt. 12 inoculationes repetuntur, nullus tamen est effectus.

D. 14 m. Dec. — 8 inoculationes fiunt partim in brachiis, partim in cruribus; pustulae parvae oriuntur, pus ex iis d. 26 m. Dec. inoculatum, 2 pustulas producit.

D. 31 m. Dec. — Maculae psoriasis colorem mutant, iritis disparuit, conditio universalis est bona, appetitus cibi maximus.

Animadversiones.

1°. Syphilisationis decursus fuit regularis atque in syphilidem constitutionalem vim exercuit usque ad finem Novembri, quo tempore levior iritis syphilitica orta est; contra illam complicationem solummodo medicamenta simplicia adhibita sunt, quae procul dubio non valuissent, nisi causam internam syphilisatio vicerat.

2°. Chanerorum diminutio successiva satis manifesta erat; illorum major in extremitatibus progressus dependit a motibus crebrioribus atque majoribus illorum membrorum, quare quoque majore dolore afficiebantur et magis inflammati erant.

3°. Syphilis citius disparet atque incipientis iritidis sanatio celerior fuit, quum chancri in cruribus magis procederent.

Methodum, quam Sperino, inoculationes faciens, secutus est atque ea, quibuscum comitatae erant, nunc attendamus.

Per 15 jam annos Syphilicomio Taurinensi, quod solummodo ad syphiliticarum mulierum curationem destinatum est, praecerat. De iis postquam libenter atque considerate novae curandi methodo, consensum dederant, experimenta sua cepit. Quamvis ab una parte earum multitudo ei admodum faverat, singulis enim annis 200 fere ibi recipiuntur, quarum paucissimae curationi ejusmodi non consentiebant, ab altera tamen parte multae erant causae, quae ei, ut bene experiretur, impedimento erant.

Primo loco Syphilicomii constructio et situs sanitati nequaquam prodesse videtur; febris ergo intermittens, rheumatismus, diarrhoeae graviores cum

syphilide haud semel conjunguntur, aegrae ipsae, omnes fere meretrices, sedentariam in nosocomio vitam agere non solitae, aut ex amenorrhoea aut e dysmenorrhoea laborabant, vel etiam sub menstruationis tempus iis congestiones varia organa versus obveniebant, nonnullae denique, post inoculationes aliquot adhibitas, in posterum curationi eius se subicere prorsus negarunt; quae omnia Sperino coëgit, ut inoculationes per tempus relinqueret. Tametsi vero chanceri arte producti per decursum syphilidis non complicatae, i. e. sine aliis morborum conditionibus internis, decrescant, tamen unaquaeque processus physiologici perturbatio magnam in eos vim exercet; primo menstruatio, quoad eorum decursum, sine dubio momenti est; etiamsi regularis sit, tamen congestio, quae ei vulgo praecedit, majorem ulcerum inflammationem gignit, quae autem bonis mensibus mox evanescit; sin vero menstruatio incipere nequit, vel febris, vel ad hoc illudve organum congestio adest, chanceri magnum in modum inflammantur, brevi tempore accrescunt, deinde naturam phagedaenicam et gangrenosam assumunt. Quod phagedaenici fiunt syphilisationi impedimento est, eamque retardat, nam ab inoculando desistendum est, donec complicatio interna sit remota, quia metuendum est, ne alioquin ceteri chanceri producendi phagedaenici fiant. Praeterea effectus, quem chanceri phagedaenici in processum syphilisationis habent, admodum exiguus videtur, forsitan quia virus propter inflammatoriam circumdantis telae cellulosaë congestionem, difficulter absorbetur atque etiam propter

fusionem, quae inter pus virulentum ac fragmenta destructa facta est.

Quando igitur quis inoculationes instituere sibi proposuit, ante omnia sibi persuasionem acquisivisse necesse habet, syphilidem cum nulla alia interna organismi turbatione complicatum esse; Sperino imo suadet, ut in aegris, antequam syphilisatio instituat, diaeta exigua, purgantibus mitioribus, balneisque adhibitis, cura praeparatoria habeatur, aequae ac, ante vaccinam detectam, quidam medici solebant variolas ipsas personis inoculare, quae ope diaetae atque modis aptis tali sanitatis conditione fruebantur, ut viri decursum regularem mitemque sperare liceret.

Initio Sperino post longa intervalla et irregulariter inoculationes instituit, deinde, quum prorsus ei persuasum erat, chancros successive decrescere, magis ordine processit, 2 vel 3 inoculationes simultaneas fecit, quo casu chancri amplitudinem satis magnam semper fere nanciscebantur; commodo perspecto, quod inoculationes plures nec non citius repetitae praebant, hanc modificationem ad extremum perduxit, ita, ut a 50 usque ad 80 inoculationes simul faceret, unde nova difficultas orta est: chancri arte producti assidue minores evadebant et tempus, per quod manebant, diminuebatur, tandem pustulae abortivae oriebantur, antequam syphilis constitutio-
nalis curata erat.

Postea demum methodum aliam secutus est, quae inter utramque jam commemoratam medium tenet, quamque in fine operis ut celerrimam atque certissimam laudat.

Instrumentum, quo inoculationes priores perficiebat, lanceola ordinaria erat, qua vulnera nimirum nimis magna fiebant, quod ut evitaret acu vaccinationi destinata deinde usus est, quam vero mox pro instrumento, lancette-aiguille vocato, mutavit, quale instrumentum in forma lanceolae vaccinantibus in Franco-Gallia inservit, dimensionem ad maximum unius lineae atque dimidiae partis habens, acutem atque detritum, a medio ad cuspidem usque rima praeditum, quo instrumento utens, inoculationes eodem modo, quo in vaccinando fieri solet, inter cutem atque epidermidem ad altitudinem 1 vel 2 linearum fecit.

Inoculationes priores vel in femoribus vel in regione umbilicali vel in hypogastrio instituit, postea vero in aliis locis, partim quia cicatrices, quos primi chanceri artificiosi relinquunt, indelebiles sunt, partim quia cutis harum regionum multum movetur, ideoque chancris nimis facile inflammatio contrahitur. Ob eandem causam brachia idonea esse negat.

In genitalibus inoculationes non fecit, tum quia aegrae hoc aegre ferunt, tum quia telae admodum tenerae ibi sunt, tum quia effectus, quos chancrisi forte phagedaenici aut gangrenosi fiunt, ibi habere possunt, perniciosi sunt, tum quia bubonis exinde oriuntur; partes imprimis eas elegit, quas vestes maxime tegunt, ut thoracis latera et postrema, regionem subter mammam, regiones epigastricas et hypochondriacas; verum multae mulieres ventrem medium aut inferiorem praetulerunt.

Materies, ut inoculationi idonea sit, oriunda esse

debet ex ulcere, quod in periodo accrescendi adhuc versatur; quamvis vero nihil reformat, utrum induratum an simplex sit; Sperino tamen, licet nullo modo sententiam Cl. Ricord amplectetur, induratum chancrum tantum esse virulentum, imprimis ejusmodi secreto usus est; attamen ad rem non facit, si modo ulcus in statu adolescendi versetur; pus requiritur liquidum, limpidum, colore fere viridi, tunc enim minus difficulter sub epidermidem intrat, quum e contrario pus ulceris, quod iam consanescit, crassum et internum telae destructae reliquiis immixtum est. — Ceterum Sperino aegris inoculavit pus ex earum propriis chaneris virulentis oriundum, qui si tales non essent, ex aliarum chaneris materiam virulentam adhibuit, vel etiam quam in tubo conservabat.

Secundum methodum, quam Sperino in fine operis, ut iam animadvertimus, tamquam optimam describit, medicus 6—10 inoculationes facere debet, quae 2 vel 3 lineas a se distant, in alterutro thoracis latere, vel potius in utroque latere; chaneri eo producti amplitudine ordinarii sunt, et haud multum inflammati; incrementibus iis interdum febris se ostendit, quae 2 vel 3 dies durat, sed purgante remedio aut dosi tart. emet. parva devincitur, quaeque febris a Sperino traumatica esse ducitur, attamen inde ortum habere posset, quod inoculationes primae in organismo actionem quandam exercerint, ideoque eandem naturam, quam febris vaccinationem interdum comitans, haberet.

Sex vel octo diebus post primam inoculationem denuo chancros eodem numero inserit, qui si nimis

crescunt, inoculando post breviora intervalla pergit, pluresque ut oriantur curat, sin vero contra eorum crescendi periodus brevissime durat, in tertia inoculatione non plures quam 2, 4, vel ad summum 6 chancris inseri debent, ut majorem accretionem adipiscantur. Quum autem priores inoculationes omnes chancros minimos atque brevi extinctos produxerunt, et syphilidis curationi haud magnam opem attulerunt, per 10 vel 15 dies curatio interrumpenda est, et longis intervallis observatis posthaec non plures quam 2 vel 4 inoculationes simultaneae fieri debent.

Tum demum, quum chancris numero indefinito insertis morbus syphiliticus evanuerit, aut pro maxima parte curatus erit, licet, ut curatio eo brevior fiat et ut capacitas celerius removeatur, post intervalla breviora, veluti 5 usque ad 10 dierum, singulis vicibus 15—20 pluresve inoculationes facere.

Simulac unus e chancris artificiosis naturam phagedaenicam vel gangrenosam assumsit, statim inoculationibus finis ponendus est et, donec morbus internus, hujus symptomatis auctor, remotus sit, a curatione desistendum est.

Quot autem inoculationes, ut persona prorsus syphilisetur, necessariae sunt, absolute dici non potest; earum enim numerus differt ratione temperamenti, constitutionis, symptomatum syphiliticorum, aliorum morborum simul apparentium, amplitudinis chancrorum artificiosorum temporisque per quod manent, intervalli post inoculationes praeterlapsi, denique forte etiam pendet de natura materici adhibitae, aliisve causis hucusque incognitis.

Curationi adjuvantia laudat Sperino mixturas acidas, mucosas, laxantia, balnea et contra febrem interdum apparentem doses tartr. emet. parvas.

Aeque simplex est curatio localis, quae instituitur; mane et vespere chaneri aqua pura humificandi sunt, deinde quo evitetur, ne vestibus terantur, linteo cera obducto tegendi sunt; quum autem nimis inflammati sunt atque dolorem producant, cataplasma emolliens adhiberi potest.

Sperino his cautionibus adhibitis videt syphilisationem non solum sine periculo decurrere et dum illa institueretur symptomata syphilitica evanescere, sed etiam aegrarum habitum evidenter meliorem fieri. Factum magni profecto momenti! dignum quidem, quod animadvertatur ab iis, qui syphilisationem periculosam esse existimant et causam, ob quam symptomata syphilitica evanescunt, ex quiete, qua in nosocomio fruuntur, repetunt.

Postquam igitur methodum, secundum, quam, auctore Sperino, syphilisatio adhibenda est, descripsimus, investigandum nobis est, in quibusnam syphilidis symptomatibus peculiaribus ille ea, curationis ergo, usus sit.

Quando *blennorrhoea urethrae* symptomatibus vere syphiliticis conjuncta non erat, numquam ille inoculationes instituit; profecto optime, primo enim paucae tantum blennorrhoeae urethrae originem syphiliticam habent, et praeterea rarissimo infectio generalis sequi solet; solummodo ubi blennorrhoea cum symptomatibus vere syphiliticis complicata erat, quae complicatio inprimis apud mulieres tubercula mucosa continet, syphilisatione usus est.

In *chancris* vero inoculationem saepissime adhibuit, non tamen adeo, ut curaret, sed potius ut syphilisationis vim prophylacticam cognosceret. Chancris interea, qui aderant, post inoculationes primas celeriter sanabantur, quod mirum non est; si enim inoculatione facta chancris posteriores id efficere valent, ut anteriores in cicatrices transcant, eandem revera actionem exercere posse debent in eos, qui coitus occasione sunt orti. In primis syphilisationis usum laudat in curandis iis chancris callosis, indolentibus, qui interdum apud mulieres in vulva et vagina observantur, qui, a Boys de Loury 1) et de Costilhes ut chancris chronici descripti, omnibus remediis tam externis quam internis per annos restiterunt; quorum si secretum contagiosum adhuc esset, sanationem perfectam sequi observavit.

In casibus, quibus contra *bubones* syphilisationem adhibuit et sanationem perfecit, dictu difficile est, quales partes in ea syphilisatio egerit, quum nempe nemo scire possit, utrum bubones, quorum resolutio secuta est, simplicis an vero specificae inflammationis effectus essent, utrum naturam virulentam haberent, an vero per chancros inflammatos producti essent, denique dubium est, an non quies, medicamenta emollientia aliave sanationis causae fuerint.

In *excrecentias* et *vegetationes* syphilisatio nullam omnino vim exercere videtur, cujus causam in natura

1) Des ulcérations chroniques (Chancres chroniques) des parties génitales de la femme, par MM. Boys de Loury et Costilhes. Paris, 1845.

eorum minime syphilitica Sperino quaerit, eique Ricord assentitur, qui contendit, si quid in syphiliographia certum sit, vegetationes res a syphilide quam maxime alienas esse.

Tuberculorum mucosorum, quae Sperino cum Cl. Ricord ad syphilidis constitutionalis symptomata refert, 22 casus memorat, in quibus fere omnibus cum aliis syphiliticis symptomatibus complicatis, syphilisationis ope sanationem consecutus est, et ita quidem, ut postea nova symptomata non apparuerint.

Earum, quae ex *exanthemate syphilitico* laborabant, 25 syphilisatione tractavit, quarum tamen quaedam, licet iis inoculationes magnam opem attulissent, sanatae non sunt, nisi jod. hydr. adhibito.

In casu uno *iritidis* syphilisationem et antiphlogistica bono eventu adhibuit.

Apud 12 personas, e *doloribus osteocopis* laborantes, syphilisatio tentata est, at quum simul aut jodet. kal. aut jod. hydr. tractarentur, quoniam syphilisatio non satis celeriter sanationem dabat, de ejus effectu, quod ad eas attinet, nihil certe dici potest. Sperino suadet porro medicis, ut in casu, quo ossa syphilide affecta sunt, incipiant jod. kalic. parva dosi adhibere et tum methodum syphilisantem sequantur.

Quamvis autem Sperino in omnibus his variis affectibus curandis syphilisationis methodum secutus sit, tamen longe abest, quod ille omnes curationes priorum medicorum propter eam removendas esse existimet; contra syphilidem primariam non nisi in meretricibus suadet, et tum praecipue propter vim,

quam syphilisatio ut prophylacticum contra luen generalem et novam infectionem exercet; contra syphilidem constitutionalem eam medicamentum non satis aestimandum esse opinatur, si aegri hydrargyrum sufferre nequeant, vel indicia ejus usum improbent, vel reiterationes continuas secutae sint.

Alterum fontem eumque magni momenti syphilisationi operam dantibus scripta 1) Boeckiana praebent, quorum, quod admodum dolet, partem tantum alteram inspiciendi copia nobis fuit, quorum alteram non cognovimus nisi ex iis, quae scriptores Anglici excerpterunt.

Boeck, ut demonstrabimus, nonnullis momentis et quod ad methodum atque contemplandi modum, reliqua, attinet, a Sperino differt.

Postquam observationes ab Auzias-Turenne factae et bonos eventus, quos Sperino nactus erat, comperuit, Boeck primum experimentum syphilisationis cepit de syphilide tuberculosa vehementi; bono eventu, quem inde vidit, ductus, plura experimenta in nosocomio syphiliticorum Christianiensi fecit.

Verum in syphilide primaria numquam adhibuit, quum enim in chaneris ordinariis luis universalis metus plerumque nullo fundamento nitatur, atque licet chancri indurati sint, Ricordio contrarium tamen statuente, syphilis constitutionalis nequaquam semper ut Boeck opinatur sequatur, Boeck excusari eum

1) Prof. W. Boeck. Syphilisationen. Studeret ved Sygesengen, Christiania, 1854.

Idem; Die Syphilisation bei Kindern. Christiania, 1856.

non posse existimat, qui curam longam et admodum gravem in aegris institueret, qua effectus evitaret, quae numquam fortasse apparuissent. Solummodo si syphilis constitutionalis erat novam methodum secutus est, et tum nequaquam in omnibus casibus.

Supra jam diximus Boeck, prouti Auzias-Turanne per syphilisationem intelligere „conditionem inoculationibus repetitis in organismo effectam, qua eas denuo recipere non valet”. Quod non amplius inoculationes pati potest, immunitas ea, magni momenti est in doctrina syphilisationis ejusque sequelis, et a Boeck magis adhuc quam a Sperino memoratur. Ille quoque ex observatis probare conatus est syphilisationem immunitatem praebere, et demonstrat in iis casibus, quibus temporalis tantum videbatur, recentis syphilidis decursum aequae mollem esse, ac vulgo apud eos, quibus vaccina variola inseritur, decursus est.

Quum nomen immunitatis damus ei corporis conditioni, ubi inoculationes chancros nullos producant, quaestio enatat, utrum perpetua an temporalis sit; utrum porro per totum corpus se extensura an vero partialis sit. Boeck ad opinionem propensus est, personas, quae semel immunes factae sint, eam qualitatem per vitam retinere; de 100 casibus 3 tantum in morbum reciderant, qui numerus profecto non sufficit ad facta evertenda; ejus experimenta per spatium 5 tantum annorum capta sunt, quod tempus revera non valet ad quaestionem adeo difficilem atque gravem decidendam; eamque inoculationes artificiosas instituendo dissolvere Boeck ausus non est:

doctrina enim, quam Ricord propugnat, qua docemur eundem semel tantum in vita syphilide constitutionali affici posse, omni dubio nequaquam major est, quam propter aliquis syphilisationis ope a syphilide constitutionali liberatus denuo inoculationibus institutis in eandem conditionem venire potest, quam homo sanus, cui virus syphiliticum inoculatum est.

Taye, qui in Norica syphilisationem impugnavit, immunitatem illam manere negat; se effectus manifestos vidisse apud personas eo sensu immunes contendit, quum inoculationes alteriores institueret, aut viro longiorem actionem daret, aut pus ex chaneris variarum personarum adhiberet: cutem immunitatem temporalem quidem nancisci posse, ubi pustulae inoculationis tanquam series contra-stimulantium vim suam exercuerunt, sed organismi inter cutisque immunitatem distinguit. 1)

Theoriae porro de immunitate non defuerunt, inter quarum conditores nonnulli concedere voluerunt, genera materiei syphiliticae inveniri, cujus sit immunitas, alii vero aliter.

Nos vero quidem credimus tempus et observationes accurate habitas immunitatis solos judices posse esse, sed eam verosimiliter existere negare non possumus, hoc argumento ducti plerosque morbos sanguinis constitutionem specialiter arripientes talem

1) Vidal, alioquin nullo modo syphilisationis fautor, immunitatem localem locum habere posse certum esse existimat eamque brevi durare, cujusque dat exemplum. Cfr. opus eius quod inscribitur: *Traité des malad. vénér.*, p. 36.

qualitatem habere, quae a novo impetu defendant; vulgo scarlatina, morbilli aut variolae in una eademque persona semel solummodo observantur, quum typho aliisque quibusdam febribus aequae una tantum vice afficiamur et si interdum iterum, certo gradu minori apparent.

Casus syphilidis constitutionalis memorans, ubi syphilisationem adhibuit, Boeck eos in duas dividit classes, secundum quas distinguit inter casus, quibus aegri hydrargyro usi erant vel non.

Hydrargyrum ante administratum syphilisationis actionem admodum modificare videtur, quae quomodo eo casu agat, difficile dictu est, quum in casibus, ubi diu quaevis praeparata hydrargyri frustra tentata sunt, vix scire possis, quaenam syphilidis, quaenam medicamentorum adhibitorum symptomata sint. Boeckio auctore in talibus casibus eventus plus minusve satisfaciunt, syphilisationis processus irregularis est, curationis tempus producitur ac chancrorum numerus augetur, pustulae inoculationis naturam saepe phagedaenicam induunt, metus, ne symptomata syphilitica revertant, magnus quidem est, at syphilisatio tamen optima, quae institui possit, curatio est.

Verum enimvero in omnibus casibus usus hydrargyri vim syphilisationis actioni adeo nocentem exercere non videtur; certe ubi cutis et membranae mucosae forma minus vehementi syphilide affectae erant, curatio aequae feliciter processit; ubi vero affectuum formae gravioris naturae erant, e. g. in rupia, theria, 1)

1) Theria i. e. exanthema tuberculosum serpiginosum.

reliquis, interdum durante curatione symptomatum exacerbatio visa est, vel etiam immunitas ante sanationem affuit; in systematis autem nervosi affectibus syphilisationem in paresin, paralyzin, rel., nullam vim exercere Boeck animadvertit, atquidem conditionem universalem meliorem fieri; quo casu etiam syphilisationis continuationem commendat, quoniam dyscrasia dissolvetur et pareseos progressus retinebitur.

Aliae vero hucusque fere ignotae conditiones in actione syphilisationis vim exercent. Aliae personae facile atque vehementer afficiuntur, magnam multitudinem chancrorum manifestorum contrahunt, qui phagedaenici vel confluentes fiunt; apud alias effectus exigui chancrique parvi sunt; apud alias denique effectus nullus produci potest. Materici quidem vis, morbi simultanei, curatio antecedens, magnas profecto partes agunt, sed etiam constitutio et idiosyncrasia praetervidendae non sunt, prouti jam in proclivitate ad syphilidem observatum est. Imo fuerunt, in quibus initio syphilisatio nullum effectum habere videbatur, sed qui postea ejus capaces facti sunt.

In opere priori Boeck 21 casus memoriae prodit, in quarum 6 absque hydrargyro tractatis, syphilisatio morbum cedere coegit, ita ut postea non redierit; curatio vulgo per 6 menses durabat, atque chancrici numero ordinario erant 322; in 8 de 21 casibus antea hydrargyro plus minusve usus erat, quapropter curatio 20 fere dies longior erat, dum chancrici 432 numero erant; 7 reliqui naturam syphilidis constitu-

tionalis admodum inveteratam habebant, inque iis hydrargyrum saepius adhibitum erat; curatio per 7 menses et plus quam dimidium pertendebatur, dum chanceri numerum 570 attigerant.

Per duos adhuc annos post operis hujus editionem 63 casus syphilidis constitutionalis tractavit, in quorum 36 numquam hydrargyrum administratum fuerat; in 27 reliquis, ubi hydrargyro usi erant aegri, sanationem sine jodii ope difficilem, imo nonnumquam fieri non posse, comperuit. Cui jodio Boeck qualitatem antimercuriale[m] specialem tribuere videtur, quum plures syphilidis inveteratae casus enumeret, in quibus et hydrargyri et jodii usus omni utilitate caruerat, syphilisatio tandem quidem contra inoculationes immunitatem produxit, sed syphilis mansit, quae non nisi jodii usu repetito evanuit. Porro casum commemorat syphilidis inveteratae, ubi, dum syphilisatio instituebatur, cutis symptomata quidem abierunt, verum dolores osteocopi permanserunt, donec jodium adhibitum sit, unde ille hoc concludit, magis ex hydrargyri usu quam ex syphilide ipsa ossium affectus originem duxisse.

Ubi autem conditiones infaustae non sunt e. g. hydrargyri usus antea nullus, ibi post tres menses vulgo symptomata syphilitica evanescere solent: Boeck animadvertisse existimat symptomatum naturae quandam vim in hoc efficiendo tribuendam esse, et e. g. exanthematibus papulosis et squamosis diutior[em] curationem quam roseolae, tuberculis mucosis opus esse.

Ut exceptionem a regula syphilidem gradatim diminui, nobis narrat se per aliquot vices vidisse, dum

syphilisatio institueretur, exanthema, quod initio curationis exsisterat, repente de novo oriri et inoculationibus continuatis, denuo abiisse. Factum fore semper observatum esse dixit, in iis, qui ab usu hydrargyri abstinuerant, sub tempus immunitatis vel paulo post nova oriri symptomata, quae sua sponte nulla ope allata evanescant neque revertant. Quoniam ea tali modo apparere et deinceps sua sponte disparere adeo saepe vidit, ad opinionem cycli symptomatum a syphilisatione in corpore productorum partem ea efficere, aures propensas habet. Sperino contra nullam eorum mentionem facit.

Methodus Cl. Boeck quodammodo differt ab ea, quam Sperino sequitur. Aequae ac ille urget, ut aegri valetudo in censum veniat, antequam curatio instituat, dicit diathesin inflammatoriam abesse debere, neque personas valde debiles, neque usui spiritus juniperi deditos ei exponendas esse; requiri, ut organa digestionis inservientia bene se habeant, denique aegrorum consensum necesse esse; quod vero ultimum attinet, ille neque in Norica, neque in Italia difficulter datus fuisse videtur. Initio quoque sexto die duos chancros inseruit, ut inoculatione altera sequente in progressus periodo versarentur; postea ab 8 usque 10 inoculationes post trium dierum intervallum fecit. Hodie vero in quavis extremitate insertiones facit, in formam litterae graecae Δ quam et vaccinantibus observare solent; post 3 vel 4 dies eadem forma observata denuo inserit; eo pergit, donec pustulae non amplius orientur, plerumque e pustulis ultimum ortis materiem sumens; si autem materies

ob nimiam debilitatem non nisi pustulas abortivas procreat, ex aliis pustulis prioribus majoribus capit; quum vero illae nihil producerent, quoniam viro vires deerant, e chancris primariis aliarum personarum materie usus est, donec et ea pustulas producere desineret. Curatio hujusmodi quoad spatium differt; vulgo inde a tribus usque ad sex menses continuabatur, eodem modo pustularum inoculationis quantitas variabat, qui interdum numerum 300 excedebat.

Observationes duae Boeckianae.

I. Puella 24 annos nata, d. 10 m. Maii a. 1852 recepta est. Affecta erat magnis tuberculis mucosis in variis corporis regionibus, tuberculis ulceratis in cruribus cum affectione ossium syphilitica complicatis.

Curationis causa adhibebatur jodetum kalicum et praeparata ferri, quae conditionem universalem quidem meliorem reddebant, at affectionem syphiliticam non mutabant. Idcirco unguentum hydrargyri inunguebatur, donec salivatio prorsus oriretur, post quod jodetum kalicum denuo adhibebatur. Post 5 menses nosocomium reliquit, sana ut videbatur.

Post unum mensem in eadem fere conditione qua antea est; post curationem *Dzondianam* duobus mensibus praeterlapsis denuo sanata ut videbatur domum profecta est.

Eadem tamen conditio admodum brevi post sese ostendit, quare Boeck, jodeto kalico sine effectu adhibito tamquam ultimum remedium syphilisationem instituit.

Inoculando initium fiebat d. 9. m. Martis a. 1853 et per duos menses pergebatur, post quod tempus quoniam pus e chaneris deficiebat, curatio intermitti debuit.

Nunc denuo salivatio unguenti hydrargyri infrictione producta est, attamen sine effectu.

Quatuor menses post Boeck materiem recentem accepit et per 3 menses curando syphilisationis modo pergebat, donec immunitas prorsus orta esset; aegra tamen sanata non erat, nam tubercula et ulcera in variis corporis regionibus iterum iterumque oriebantur.

Denuo igitur opem ex jodeto kalico quaesiverunt et ad Boeckii admirationem, hoc nunc et celeriter et prorsus profecit licet antea frustra bis administratum.

Admirabile est factum quod jod. kalic. ante syphilisationem saepe effectu caret, quum post illam optimo eventu adhibeatur.

II. In alio casu a Boeck narrato per totum corpus psoriasis syphilitica aderat.

Aegra per 5 menses secundum methodum *Dzondii* tractabatur, at sine ullo effectu, admodum debilis erat atque emaciata.

Curatio per syphilisationem 8 vel 9 menses durabat non minus quam 633 inoculationes instituebantur, quarum 90 tantum effectum non habebant. Uno fere mense post syphilisationem inceptam exanthema crurum et trunci minus fiebat et mense quinto tantum aderat in parva parte natium. Eo vero tempore praeterlapsa evanuit, conditio universalis admodum melior facta erat, atque aegra ipsa posthaec bene valet.

Prouti vidimus inoculandi methodus a Boeck defensa, ab ea, quam Sperino sequitur praecipue quoad inoculationis locum differt; causam, ob quam Sperino extremitates evitat, jam exposuimus, quae eadem causa Boeck movere videtur ad femora imprimis eligenda. Forsitan locus non multi ponderis

habendus est, et medicus hac in re aegris morem sine periculo gerere poterit; dissensus vero, ratione curationis si chancri phagedaenici fiunt, utrumque tenens divisum, majoris momenti nobis videtur, nam dum Sperino ab una parte, illam naturam phagedaenicam morbis cum syphilide complicatis internis attribuens, ab inoculando, quamdiu adsunt, desistere jubet, ab altera parte Boeck syphilisationis continuationem tamquam remedium unicum absolutum commendat, quo phagedaenismus removeri possit, cujusque originem e viri vi atque differentia repetit, Boeck hac in re fallere existimamus et phagedaenismum nequaquam a causa speciali, a viri viribus majoribus, dependere ducimus; pus enim ex chancro crescenti sumptum chancrum simplicem apud hunc, apud illum vero phagedaenicum producet, sic e contrario pus e chancro phagedaenico oriundum, simplicem procreare poterit. Idcirco Ricord 1) in eos invehitur, qui, phagedaenismum e majori vi causae specialis repetentes, hydrargyrum volunt administrare eadem ratione, qua vis illa major minorve est; ille aequae ac Sperino causam existimat, ob quam chancer phagedaenicus fit, quaerendam esse in potentia nocente, quam affectio visceralis, digestio perturbata, abusus spirituosorum reliqua exercent 2). Utram vero methodum quis sequi debeat, non est, quod statuere audemus, quamvis fortasse Sperino meliorem viam inierit; utriusque diversa curatio bonos

1) *Traité pratique des maladies vénériennes*, p. 565.

2) Ricord, *loc. cit.*, p. 565 et *Lettres sur la syphilis*, p. 143.

habuit eventus, vel sic tamen quaestio subtilis manet, ita ut et medico et aegro dubitandi causae sat multae supersint, an imminente phagedaenismo denuo chancrī producendi sint.

Ubi symptomata constitutionalia evanescent nequaquam necesse videtur inoculando tamdiu pergere, donec non nisi pustulae abortivae oriantur, aliis verbis donec immunitas consecuta sit. Uno tantum genere puris inserendo Boeck numquam immunitatem creare potuit, semper duarum aut plurium personarum materies ei opus fuit. At vero narrat se, uno genere viri inserendo, tres aegros bono eventu curasse, immunitatem quidem non esse consecutum, sed morbum etiam posthac non rediisse, quorum duo tunc per duos iam annos, tertius per 22 menses profectus erat.

Fortasse quis materie e chancris ejus propriis desumta syphilisari posset, quod plerumque tamen, ob multas causas, quae ab inoculando desistere jubent, male succedet; praeterea Boeck casus observavit, in quibus materiei originis ejusdem immunitas prorsus aderat, ubique inoculatio optime procedebat, quum materies recens ab alio aegro oriunda adhiberetur. Majorem adhuc difficultatem habet aliquem prorsus immunem dicere, si cum nonnullis pro certo statuas, viri syphilitici vires pro diversis regionibus diversas esse, quo fieri posset, ut quis immunitatem nactus contra pus a variis ejusdem regionis incolis desumptum, puris tamen ex alia urbe vel regione petiti immunitatem nequaquam habeat. Novam semper igitur materiem Boeck adhibuit ibi, ubi prior

immunitatem produxerat, quo modo agendo quam diutissime perrexit.

An vero revera varia viri syphilitici genera adsint, difficile dictu est; Tave aliique negant argumenta valere; de virium vero differentia opiniones minus differunt: Boeck eam assumit. Christianiae observatum est, quum pus, e chancris in ea urbe contractis oriundum, omni effectu caruisset, materiem ex urbe Holmia petitam chancros manifestos produxisse; porro materiem Hamburgensem iis maiorem adhuc vim exercere, omnes vero materiei Londonnensi postponendas esse; quod si verum est hoc revera e materiei natura dependere, et non, prouti bene fieri potest, attribuendum esse ei, quod materies ipsa aliis liquoribus plus minusve tenuata erat, magni profecti momenti est, si quidem animadvertas curationis celeritatem cum viri adhibiti qualitate juncta manu procedere.

Sed praeter illam viri differentiam Boeck se observasse statuit, materiei syphiliticae regenerationem existere. Anno 1854 ad finem urgente Clerc 1) de qualitate diversa viri syphilitici in chancro indurato et in chancro simplici novam aperuit sententiam; ille, e vestigio aliorum, chancrum induratum solum genuinum, syphiliticum esse existimat, praeterea simplicem ab indurato eadem ratione differre, qua variolides a variolis differunt, quapropter simplicem nomine chancroidis donavit; oriretur si materies chanceri indurati transferreretur in personam e syphi-

1) Clerc, L'Union med., 19 Dec. 1854 et 25 Oct. 1855.

lide constitutionali laborantem, vel antea ea affectam, et chancros solum simplices producere posset. Primo intuitu haec sententia admodum placet; dat enim alterum consensus momentum inter virum syphiliticum et inter virum variolarum, et syphilidis doctrinam multo minus obscuram redderet; attamen experientia contraria illam theoriam simplicem a veritate abesse docuit, qua ducti vidimus tam simplicem quam induratum chancrum syphilidem constitutionalem sequi posse, et si post induratum syphilis constitutionalis magis certe observetur, id non pendere ab induratione, sed eam indurationem ipsam, secundum Vidal 1), jam considerandam esse tamquam primum infectionis universalis symptoma, quae, prout et aliae causae hoc efficere valent, telam cellulosam, quae chancrum cingit, vehementiori gradu inflammare potest; — praeterea experientia docuit chancrum induratum rarissimum esse, et apud mulieres numquam fere observari; quod ut explicari posset, statuendum esset, omnes, in quibus chancer simplex oriatur, antea syphilide constitutionali vel syphilide hereditaria affectos fuisse (fere omnes igitur mulieres), cui tamen experientia contraria est, quam longe alioquin syphilis pateat; vel statuendum esset chancros, unde infectio oriunda est, simplices fuisse, sed qui syphilis constitutionalis tum explicari potest?

Aliam sententiam quam Clerc Boeck amplectitur, qui opinatur chancrum simplicem producere posse chancrum induratum etiamsi valetudinis aegri propriae ratio non habeatur. Materiei syphiliticae regenera-

1) Vidal, Traité des maladies vénériennes, p. 205.

tionem et intensificationem (sit venia verbis) assumit, quae oriretur inoculationibus in eadem persona repetitis; rem sic se habere animadvertit, quum aegrum e chancro indurato qui, licet per duos jam menses adesset, nondum evanuerat, laborantem curaret, in quo aegro omnia incipientis syphilidis constitutionalis symptomata observabantur. Ei materies e proprio ejus chancro orto inserebatur, quae pustulas non nisi abortivas produxit; interea pergebat Boeck tertio quoque die ei pus ex posterioribus pustulis desumptum inoculare; post inoculationum seriem decimam sextam parva ulcera nata sunt, quae novis inoculationibus factis gradatim accrescebant, tandem imo chancros producebant. Materiem porro regenerare observavit, si per variarum personarum organismum transferret. Quum scilicet materies, quae in persona syphilide affecta pustulas abortivas producere inciperet, in aliam personam syphilide constitutionali contaminatam, quae nunquam adhuc aut saltem haud diu syphilisatione tractata erat, transferreretur, pustulae grandes gignebant, quarum materies id efficere solebat, ut, si in priorem personam referretur, denuo chancri nascerentur.

Denique nobis dicendum restat Boeck non solos adultos syphilisasse, sed eam methodum in infantibus et pueris quoque eventu felicissimo adhibuisse.

Quoad illos eandem methodum quam in adultis secutus est, solummodo inoculationes per longiora spatia divisit et simul non tot chancros quot apud adultos inseruit; pustulae, ait, apud infantes paulo tardius olescunt, sunt minores, minus altae, minusque

puris continent, actio vero manet eadem, immunitas eodem fere tempore acquiritur, quo apud adultos solet, sed post numerum chancrorum minorem jam adest, quod fortasse e longioribus intervallis observandis, post quae inoculationes fiunt, dependet, symptomata syphilitica evanescent, conditio denique universalis melior evadit aequae ac apud adultos.

Observatio Boeckiana in Opere: Die Syphylisation bei Kindern, commemorata p. 34 seqq.

Magdalena Charlotta Svendsdatter, 6 menses nata, die 21 m. Nov. a. 1855 in nosocomio recepta est. Circum anum et genitalia atque juxta femur aliquot tubercula mucosa majora minoraque animadvertuntur, quorum quaedam ulcerant, atque in regione interna labii majoris sinistri majus tuberculum mucosum ulcerans (fere ad magnitudinem monetae, quam Germani Kreuzer vocant) et porro nonnulla minora. Infans habitum habet quodammodo pallidum et inquietus est tam nocte quam die. Praeterea nihil observatur nisi in capite quaedam pustulae. Ulceratio exstiterat tribus hebdomadibus postquam infans lactaverat ex Karen Christina Hansdatter, quae mulier uno cum infante sua propria propter syphilidem in dicto nosocomio curata fuerat.

Infans inde a 2 d. m. Sept. usque ad 3 d. Nov. a. 1855 propter ulcus syphiliticum in dextra parte labii inferioris tractabatur et postea domi observabatur, ubi mox haec affectio orta est.

D. 23. m. Nov. Una inoculatio in utroque femore e materie a Karen Nilsdatter oriunda (ex ulcere arte producto in femore.)

D. 29 m. Nov. Post ultimas inoculationes pustulae admodum parvae, non bene evolutae, ulcerationes nondum profunde procedunt. Una inoculatio utroque femore o materie oriunda ex ulcere artificioso in dextro femore Karen Nilsdatter.

D. 30 m. Nov. Pustulae in femoribus majores fiunt. Una inoculatio in utroque femore ex ulcere ibi d. 23 m. Nov. producto.

D. 5 m. Dec. Post ultimas inoculationes in femore pustulae adhuc parvae sunt, ex his una inoculatio in utroque femore.

D. 8 m. Dec. Post ultimam inoculationem in femore sinistro nulla actio; una inoculatio in hoc femore ex materie sumta ex inoculatione ultima in femore sinistro Johannae Christiansdatter no. 1401.

D. 11. m. Dec. Post ultimas inoculationes in femoribus actio valde exigua; una inoculatio in utroque femore e materie ex inoculatione antea facta in femore sinistro.

D. 15 m. Dec. Post ultimam inoculationem in femore dextro nulla actio, in sinistro pustula bene evoluta, ex qua una inoculatio in utroque femore.

D. 21 m. Dec. Post ultimas inoculationes in femoribus minimae pustulae; una inoculatio in utroque femore ex inoculatione penultima in femore sinistro Johannae Christiansdatter No. 1401.

D. 27 m. Dec. Post ultimas inoculationes parvae pustulae, e quibus una inoculatio in utroque femore.

D. 1 m. Jan. a. 1856. Post ultimas inoculationes nulla actio in femore sinistro, pustula parva in femore dextro. Una inoculatio in utroque femore ex inoculatione antepenultima.

D. 2 m. Jan. In natibus et juxta femur exanthema papulosum coloris rubri vividī se ostendit.

Plures inoculationis pustulae diebus posterioribus accreverunt et infans per noctem inquieta erat.

D. 7 m. Jan. Post inoculationem ultimam in femore sinistro nulla actio, in dextro pustula parva, e qua una inoculatio in utroque femore.

D. 13 m. Jan. Post ultimas inoculationes nulla actio; una inoculatio in utroque femore e Johanna Christiansdatter.

D. 18 m. Jan. Post ultimas inoculationes pustulae parvae, e quibus una inoculatio in utroque femore.

D. 21 m. Jan. Post ultimas inoculationes nulla actio.

D. 24 m. Jan. Una inoculatio in utroque femore e materie sumta ex inoculatione penultima in femore dextro numeri 78.

D. 30 m. Jan. Post inoculationes ultimas nulla actio; una inoculatio in utroque femore ex Anna Johansdatter.

D. 3 m. Febr. Post ultimas inoculationes actio nulla.

D. 6 m. Febr. Una inoculatio in utroque femore e no. 78, ex ulceribus arte productis in latere dextro.

D. 10 m. Febr. Post inoculationes ultimas pustulae parvae, e quibus una inoculatio in utroque femore.

D. 16 m. Febr. Post ultimas inoculationes in femore dextro nulla actio, in femore vero sinistro pustula admodum parva, ex qua materies ad novam inoculationem perficiendam sumi non potest.

D. 24 m. Febr. Post ultimam inoculationem parva pustula in femore dextro, e qua inoculatio in utroque femore.

D. 28 m. Febr. Post ultimas inoculationes in femore sinistro nulla actio, in dextro pustula, e qua una inoculatio in femore eodem.

D. 2 m. Mart. Una inoculatio in utroque femore e Jorgen Larsen no. 176.

D. 11. m. Mart. Post ultimam inoculationem parva pustula, e qua una inoculatio in utroque femore.

D. 25 m. Mart. Nulla actio post ultimas inoculationes. Tubercula mucosa circum anum et genitalia perfecte sanata sunt.

Infans ab hoc inde tempore solummodo in nosocomio restat, quoniam mater nondum sanata est.

In Magdalena Charlotta Svendsdatter in toto 38 inoculationes factae sunt, quarum 15 effectum caruerunt, ita ut 23 chanceri in ea producti sunt. Sicut apud alios infantes animadversum est, chanceri hi omnes admodum parvi erant, ita ut fere numquam licuerit de inoculationibus posterioribus materiam sumere, quâ curatio peragi posset.

Materies primo adhibita per 4 series inoculationi idonea manebat, quae vero postea adhibebatur, post tertiam seriem vim amittebat; inoculationes praeterea, prouti saepe fit, effectum aut non habebant, aut pustulas ita parvas producebant, ut necesse esset materiem ex aliis aegris sumere.

Sex hebdomadibus post syphilisationem inceptam actio in inoculationibus jam confectis major fiebat, et eodem tempore eruptio exanthematis papulosi, coloris vividi rubri oriebatur, complicata cum conditione morbosa universali, quae fortasse ratione syphilisationis idem significat, ac eruptio apud adultos antea commemorata.

Post 2 menses et 22 dies immunitas acquisita erat. Quatuor mensibus et duobus diebus post syphilisationis initium omnia symptomata evanuerant, quum tubercula mucosa per tantum temporis spatium immutata mansissent, ut procul dubio sine multis observationibus anterioribus de bono eventu dubitare licuisset.

OBJECTIONES CONTRA SYPHILISATIONEM
EARUMQUE REFUTATIO.

Conditores doctrinae, quae nihil minus volebat quam magnam viri animalis vehementissimi copiam in organismum transferre, qui plus minusve jam eo infectus est, impugnatores multos sibi contraxisse haud mirum est. Disceptationes, quae ab adscriptis Academiae medicinae in Franco-Gallia hac de re actae sunt, conamina attestantur, quae adhibita sunt, ut jam in cunis syphilisatio exstingueretur.

De objectionibus praecipuis earumque refutatione hinc disserendum est.

Novam methodum esse absurdam, dixerunt. Fortasse quia putarunt eam nimium polliceri, si id propositum haberet, ut viri syphilitici immunitatem praeberet, ut dyscrasiam syphiliticam evelleret, ut syphilidem in aeternum removeret, non autem ut eam in longius vel brevius temporis spatium reprimeret; si id efficere vellet, ut syphilis non rediret,

ut in posterum foetus non amplius in utero moriretur, denique ut vestigia mali, quod parentes vel avium vel sine culpa sibi contraxerunt, per totam vitam in corpore apparentia, evanescerent. — Absurdum profecto et paradoxum videtur, quum dicas: „Syphiliticus es, ergo tibi syphilidem inoculari cures, et sanatus eris”, et rationi convenit, quod primae de syphilisatione renuntiationes prudenter recipiebantur, sed admodum dolendum est, quod talis prudentia effecit, ut multi pertinaciter negarent, quod ipsis oculis videbant, vel ut prorsus videre nollent, quum facta jam manifeste ostenderent syphilisationem veritatem esse.

Syphilisationem contra bonos mores pugnare, dixerunt.

De cujus objectionis veritate, si tantum ad propositum, quod Auzias-Turenne adeo temere fecit, pertineret, nemo profecto dubitaret; sed syphilisationem curationis causa adhibitam attingit, quare nulla ea stultior afferri potest. Quis enim contra bonos mores pugnare potest, quum in sanguinem materies inducatur, quae jam inest? Aut forte quoniam inoculationes cicatrices producant?

Ignotum esse qualis syphilisationis actio sit, dixerunt, et idcirco ei vim salutarem inesse pernegarunt, imo stultitiae, mendacii, mystificationis nomen dederunt.

Mendacium neque mystificationem esse, multae curationes bono eventu ornatae, a viris, de bona quorum fide dubium moveri nequit, commemoratae nec non a sexcentis testibus firmatae, satis clare probant.

Atqui verum est, syphilisationis actionem ignorari; sed rogo, an forte quis dicere posset, quomodo vaccina contra variolas defendat; an non idem valeat de chinino, de hydrargyro, de tot aliis remediis, quae experientia salutaria esse probavit quaeque quotidie sine metu administrantur, licet eorum actionis nemo rationem dare queat.

Syphilisationem periculosam esse, dixerunt, et rogant, quum parvum unicum chancrum symptomata adeo vehementia jam sequi possint, quid accideret, quando magnus eorum numerus producebatur?

Verum jam ante syphilisationem Ricord 1) demonstraverat inoculationibus aegro morbum neque gravio-rem evadere, neque lui universali ansas plures praebere; sic quoque experientia docuerat, inter syphilidem constitutionalem atque symptomata primitiva nullam relationem esse; praeterea Ricord eos, qui putabant in organismo virus syphiliticum duplex adesse posse, nimis ridiculos reddidit, qui amplius asseclas invenire possent.

Etiam si vero metus, ne inoculationibus syphilidis gradus major fieret, nullo fundamento nitatur, tamen confitendum est syphilisationem periculis non vacare. Chanceri enim nimis inflammari, phagedaenici, gangrenosi omnino fieri possunt, et supra vidimus, quomodo eo casu methodus agendi diversa sit; plerumque tamen hoc periculum aut evitari aut depelli potest, sive cum Boeck inoculationibus repetendis,

1) Lettres sur la syphilis, pag. 9.

sive cum Speriño medicamentis internis adhibendis. Praeterea periculum ex hydrargyri usu metuendum non minus est; triste profecto est, si omnibus remediis, quorum usus periculosus est, ut secali, arsenico, reliq. idcirco in therapia locus negandus esset.

Curacionem nimis durare, dixerunt.

Procul dubio curatio symptomatum primariorum, quae a 2 usque ad 6 menses et interdum diutius protrahitur, longe durare censenda est, quum temporis, intra quod alia remedia illa remove solent, rationem habemus; etiam hac methodo syphilidis constitutionalis sanatio breviori spatio non acquiritur, quam alia curatio bene adhibita eam plerumque efficere solet; at contra dicendum, post syphilisationem syphilidem adeo raro redire, ut longum tempus priori curacioni necessarium bene compensetur eo, quod nunc ansa crebri reditus vix datur. Praeterea fieri bene potest, ut syphilisationis methodus, si modo frequentius instituatur, tales mutationes subeat, quae curacionis spatium brevius reddant.

Propter vestigia remanentia syphilisationem adhiberi non posse, dixerunt.

Si legens interdum 300, 400 vel 500 inoculationes factas esse, inde efficere posses totidem chancros affuisse, numerus ille metum incuteret. Res tamen non sic se habet: inoculationes enim raro plus 20 vel 30 producant, qui merito chancrae censendi sunt et cicatrices relinquunt; omnes reliquae ulcera solummodo parva gignunt, interdum non nisi excoriaciones sunt. — Verosimiliter inoculationes adeo crebrae non requiruntur, ut curatio perficiatur; posset fortasse

numerus earum diminui et intervallorum spatia extendi, nisi vis derivans, quam pustulae inoculationis invicem in se exercent, dolorem diminueret. Metus cicatricium haud magnus est, si, syphilisationem instituere incipiens, cures, ut inoculationes primas, quae majores chancros producunt et majores cicatrices relinquunt iis corporis locis facias, quae vestes tegere solent.

Syphilisationem symptomata syphilitica non depellere, sed tempus, quietem, diaetam, reliqua id effecisse, dixerunt.

Confitendum est, nonnumquam syphilidis symptomata sponte evanescere, ubi conditiones hygienicae bonae existunt, sed exceptio est habenda et vulgo denuo apparent; syphilisatione adhibita non redeunt, qualem curationem in sexcentis casibus observatam ad exceptiones nemo referre potest.

Non in omnibus casibus syphilisationem sanationem efficere, dixerunt, unde inutilem esse probare voluere.

At qualis methodus sanandi, praecipue quando nuper tantum adhibetur, semper bonos effectus habuit? Hydrargyrum aequè non semper contra syphilidem valet, saepe non impedit, quominus redeat; interdum, quamvis bene administratum, morborum gravium causa est. At tamen ubi syphilidis symptomata redeunt, ejus usus praescribitur; non rejicitur, sed administratio pro experientiae praeceptis mutatur. An forte syphilisatio ideo improbanda esset, quoniam in nonnullis casibus non bene successerit, licet multis sanationis casibus compensentur?

Provideri non posse, quales effectus inoculationes repetitae habiturae sint, non solum in ipsis syphilisatis, sed etiam in eorum posteris, dixerunt.

Eam objectionem Sperino omnium gravissimam esse ducit, quae contra syphilisationem fieri possint.

Fieri poterat, ut, quamvis syphilis curata et conditio universalis admodum melior facta esset, postea pateret, syphilisationem non prorsus innoxiam fuisse. Temporis solum est hoc argumentum refutare, et revera jam pro parte refutavit. Hucusque syphilis post syphilisationem factam rarissime rediit, quod si factum est, ejus decursus valde mitis fuit, quum apud syphilisatos nullae conditiones morbosae observatae sint, quae jure curationi adhibitae tribui possent.

Hydrargyrum bene administratum majorem certitudinem ac minora incommoda habere, dixerunt.

Hydrargyri autem certitudo tristem habet figuram. Postquam per saecula formis, dosibus, formulis, modis variis adhibitum est, nunc tantum eo perventum est, ut Ricord 1) dicere deberet neque formam neque dosim, sive quotidianam sive absolutam, exsistere, quae sanationem certam dare valeret, etiamsi omnes conditiones accedentes optimae essent. — Ad symptomata primaria curanda valet, quoque ad syphilidem constitutionalem praeveniendam et curandam, sed certitudo ea non reditura esse exigua est, praecipue si eam comparemus cum ea, quam syphilisatio praebet.

Syphilisatione hydrargyrum bene administratum

1) Lettres sur la syphilis, p. 278.

minora habere incommoda acque iniquum est. Utriusque methodi sanandi comparatio hoc probat.

Hydrargyrum requirit, ut diaeta observetur, omnes fatigationes evitentur, a frigore atque humiditate caveatur, denique ut calor quam maxime aequalis adsit.

Nullas earum cautionum syphilisatio requirit; quodvis edere, bibere, ambulare, operas quotidianas peragere sine periculo licet. Lindsay 1) nobis narrat, se in privata praxi Boeckii, multas personas vidisse, quae modo rebus domesticis relictis, post 12 inoculationes factas, rursus ad eas revertebant, ut post 2 vel 3 dies eodem fine redirent; externe de eorum curatione se nihil animadvertisse dicit, sed vestibus exutis membra, imprimis eorum qui antea hydrargyro usi erant, pustularum multitudine obsessa esse.

Syphilisatio in quovis quidem institui nequit, sed de hydrargyri usu idem non minus dicendum est. Quum circulationem acceleret, in morbis cordis et systematis vascularis contraindicatum est, item in quovis morbo sanguinis jam existenti, prouti in scorbuto, reliq., denique in omnibus personis, quarum constitutio, aetas, similiave metum injiciunt, ne chemicam hydrargyri in sanguinem actionem perferre nequeant. Praeterea cognitum est qualibus morbis hydrargyrum ansam dare possit; hydrargyrum vel accuratissime administratum nonnumquam non

1) Lauder Lindsay, Syphilization in Norway. Edinburgh Medical Journal. November 1857.

potest praevenire enteralgiam, diarrhoeas, ptyalismum, stomatitidem, eczema mercuriale, erethismum mercurialem; organismum ita labefactare potest, ut quaerere liceat, quid corpori magis nocuerit, morbus an curatio.

In syphilisatione vero eorum metus nullus est, per priores quidem inoculationes febris interdum oritur, sed medicamenta idonea eam celeriter avertunt, neque decursu curationis durante revertitur; maximum incommodum phagedaenismus dat, qui tamen prudentia praeveniri aut alioquin celeriter curari potest, quum syphilisationis commodum, ab omnibus testibus ocularibus laudibus elatum, est quod conditio universalis aegrorum durante ea et post admodum melior fit, qualem effectum hydrargyrum habere nemo adhuc vidit.

CONCLUSIO.

Qualiscunque opera, quam therapia syphiliti hucusque praestitit, omni tempore ita incerta atque saepe organismo ita noxia comperta est, ut prorsus liceret aliam methodum experiri, etiamsi primo intuitu absurda videretur; quot enim non sunt in scientiis naturalibus, quae initio absurda quidem censentur, sed contemplando et investigando postea vera esse patent.

Quum de nova methodo semel atque iterum experimenta capta essent, syphilisationem veritatem esse dubio majus factum est. Verum enimvero non omnes eam existere credunt; multi adhuc negant virus syphiliticum iterato inoculatum corpus in conditionem redigere, in qua talis viri immune fiat; pauci modo inveniuntur, qui inoculationes hujusmodi curationis causa adhibent.

Modum et casus, in quibus Boeck et Sperino

syphilisationem instituunt, commemoravimus; symptomatum quoque ejus usus, quae uterque animadvertit et explicuit, mentionem fecimus; vidimus, quomodo Boeck novam methodum ab initio tantum adhibuit in syphilidis constitutionalis curatione, atque Sperino etiam, postquam in omnibus syphilidis formis adhibuerat, tandem eam non instituisse nisi contra syphilidem constitutionalem.

Pro prophylactico sine dubio rejicienda est; est enim, ut Boeck dicit, opinio absurda morbum in aliquo homine praevenire velle, quem in genere haud sine libera voluntate sibi contrahit, et quo praeterea nequaquam certum est aliquem affectum iri.

Syphilidem primariam syphilisatio curare et constitutionalem praevenire valet; num contra syphilidem primariam institui debet? Ut mihi videtur, est in tali casu ejus usus non commendandus, quoniam syphilis primaria plerumque et citius et modo simpliciori curari potest, et quoniam syphilis constitutionalis nequaquam semper primariam sequitur; at puto, quum quaestio de immunitate decisa erat atque illa durare patet, syphilisationem in nonnullis casibus syphilidis primariae in meretricibus adhiberi licere.

Aliter vero agendum est quoad personas sive adultos sive pueros, quae e syphilide constitutionali vel hereditaria laborant; nihil aliud enim in organismum infertur, quam quod jam ante inerat, et his in casibus patuit, nisi forte aliae conditiones morbosae syphilisationem vetarent, illam propter crebras sanationes, quas effecit, therapiae verum lucrum esse.

Fortasse syphilidi majus adhuc commodum afferet:

si inoculationes repetantur et observationes accuratae fiant, credendum est eventurum esse, ut syphilidis doctrinae, in qua multum adhuc obscurum est et de qua multo sensu sententiae diversae sunt, lux afferatur.

Sed doctrina syphilisationis quasi nimbo etiam adhuc involuta est.

Actio ejus prorsus ignota est. — Conditiones definitae nondum sunt, quae efficiunt ut eadem materies in altero efficaciter et celeriter, in altero vero invalide et tarde vim exercent. Unde pendet, quod materies, quae in altero efficax est, in altero vero initio admodum invalida est et post repetitas inoculationes demum altiore actionis gradum in chancris ostendit; pendetne ab aegrorum propria constitutione, an materies inoculationibus repetitis viribus crescit? — An revera Boeckii sententia, regenerationem materiei syphiliticae esse, vera est? An sunt plura aut unum tantum genus viri syphilitici? — An vis viri syphilitici pro diversis personis aut diversis regionibus diversa est? — An immunitas acquiri potest? Estne permanens an temporalis? — Quanam causa efficit, ut nonnumquam in forma syphilidis inveteratae, contra quam antea hydrargyrum administratum fuit, et ubi syphilisatio pene sanationem produxerat, de repente eadem symptomata erumpant, quae initio syphilisationis aderant.

Haec atque multae aliae quaestiones ortae sunt apud eos, qui syphilisationi operam dederunt; eaeque verosimiliter tum solventur, quum nova methodus magis magisque adhibita erit.

Hic autem quaestio se ostendit, an syphilisatio universalis methodus curandi factura sit. Hoc brevi locum habiturum esse non credimus. Medici, qui syphilisationem non prorsus improbant ad hoc tempus usque parvo numero adsunt, quorum multi insuper opinantur tunc solummodo adhibendam esse, quando post usum hydrargyri et jodii morbus saepius rediit. Profecto eo casu eam adhibere procul dubio licet, et explicatu facile est omnes, qui syphilisationem adhibere vix audent, eam instituturos in illis casibus, quibus omnia alia remedia vana fuerunt. Tales vero casus minime idonei sunt, secundum Boeck, ut magnum syphilisationis commodum, morbum non redire, ostendant; ibi enim non sola syphilis removenda est, sed syphilis cum hydrargyro complicata. Quum igitur apud aegros ejusmodi syphilisatione instituta syphilis non ita celeriter aut perfecta, ut putabant, evanescat, id causas augere potest, ob quas modum curandi, qui et novus est et de quo sententiae adeo diversae sunt, impugnabunt. Praeterea non omnes medici syphilisationem instituere poterunt, quum plerique materiem virulentam non semper habituri sint, nisi multos syphilidis casus tractent. Licet hanc ob causam syphilisatio fere non nisi in nosocomiis adhiberi possit, tamen quum in iis praecipue curentur ii, qui ob professionem aut modum vivendi infectioni maxime expositi sunt, vel etiam infectionis fontes habendi sunt, propter immunitatem, quam efficit, certe gravis momenti erit ad id efficiendum, ut morbus, qui genus humanum degenerat, aut exstinguatur, aut saltem diminuatur.

Si syphilisationi jure locus in therapia syphilidis assignatur, bene fieri potest, ut ejus usus tamquam methodus curandi augeatur. Fuerunt, qui syphilidem inserebant in casu carcinomatis. Thiry, Didot, Turenne, Borelli aliique hoc fecerunt, sed effectus, quos habuerunt, hucusque haud admodum satisfecerunt, neque repetierunt; Boeck vero denuo id facere coepisse videtur; casum memorat 1), in quo eczematate chronico existente syphilisationem instituit et morbus decrevit. Syphilis potest fortasse id valere, ut dyscrasiam exstinguat, aut saltem ita mutet, ut curationi magis idonea fiat; et sperandum est fore, ut experimenta ejusmodi mox capiantur, quo facto forsitan patebit, mala, quae aegri animum demitterent, eum ad desperationem adducerent, medicum consilii inopem redderent, verbi causa lupum citemus, vinctum iri.

Antequam finem faciamus, adhuc unum. Syphilidem animalibus inserere originem syphilisationi dedit. Lindsay opinionem affert, animalibus inoculando, contagio, aliove modo varietatem morborum hominum contrahi posse; revera vidimus choleram, febrem intermittentem aliosque morbos epidemicos non sine effectu in animalia esse. Investigationes magis accuratae forsitan tandem ostendent contra alios quoque morbos quam variolas prophylacticum existere in viro, apud animalia modificato.

Syphilisatio et aliam opinionem genuit. Boeck quaestionem movet, an virus syphiliticum unicum virus animale esset, quod inoculationibus repetitis

1) Boeck, Die Syphilisation bei Kindern, pag. 53.

sui capacitatem tollat, igitur an esset exceptio? Analogiis, quae inter vira animalia existunt, ductus, hoc negandum esse existimat, atque alia vira animalia, inter quae rabiem caninam et morvum nominat, inoculando curari posse, si modo methodus inoculandi nota sit, quae, quum morbi acuti sint, fortasse alia erit quam syphilisatio.

Enarrare nobis restat, quomodo, viro clarissimo van Goudoever inspiciente, syphilisationis experimentum ceperimus; quocirca duos casos hac methodo tractatos, licet nondum ad finem perductos communico.

Aliquod tempus praeteriit antequam persona syphilisationi idonea se ostendit. Mense Februario tandem venit persona, at novum impedimentum obstat, materiae scil. virulenta carebamus. Aegri quidem ex ulceribus syphiliticis laborantes satis multi inveniebantur, sed inoculationes in iis factae semper argumento erant, eorum ulcera non amplius in stadio secretionis puris virulenti versari. Mense Marte ad finem jam vergente demum materiem syphiliticam recentem nacti sumus et statim inoculationes instituimus in

A. de W., 32 annos nato. Die 12 m. Nov. 1855 primum in polyclinico chirurgico tractatus erat, quum laboraret ex ulcere phagedaenico ad praeputium et e bubone syphilitico dextri lateris; merc. sublim. corros. tum ei administratus erat, cujus 25 granis in toto usus est.

D. 8 m. Januarii anni sequentis in nosocomio receptus

est; bubo se aperuerat multumque excitabat dolorem. Post usum autem decocti lignorum et externe aq. phaged. et dec. althaeae c. cap. papav. alb. sine multo effectu, celeriter sanabatur simul ac externe acid. nitric. adhibebatur.

Die 27 m. Februar. a. 1856 denuo venit syphilide constitutionali incipiente affectus, contra quam jod. kalic. dabatur; ab hoc inde tempore, licet remedia ejusmodi administrarentur, angina syphilitica variaque syphilidis exanthemata se ostenderunt, quae praeterea inde a mense Januario a. 1857 cum scabie gravissima complicabantur. Etiam si per unum annum 42 dr. jod. kalic. usus esset, nulla tamen syphilidis constitutionalis symptomatum diminutio observari potuit. Quum in nosocomio reciperetur ejus corpus exanthematibus syphiliticis prorsus obsessum erat, tubercula in facie, rupia et psoriasis in brachiis et cruribus, psoriasis in dorso, thorace, lumbis, uno verbo omnes fere formas graves syphilidum vario modo scabie accidente aggravatas in eo videre potuisses; praeterea omnis habitus, licet vir satis robustus esset, nunc cachexiam multum jam promotam ostendebat; digestio mala erat, interdum febris eum aggrediebatur, de insomnio saepe querebatur.

Curavimus ut aeger decocta lignorum sumeret atque regimen calidum jussimus, deinde morphino parva dosi dato somnium in eo creare conati sumus, dum contra scabiem balnea et unguentum praescripsimus, sine multo effectu tamen, quum ulcerationes usum unguenti in quibusdam modo corporis regionibus patiebantur. Hac curatione quodammodo praeparativa instituta inoculandi initium fecimus et primam inoculationem d. 25 m. Martis instituimus materie ex ulcere primario ad genitalia sumpta in vitro inservata. Tres inoculationes in brachio dextro fiunt, tres in sinistro sed hic pure saliva attenuato.

D. 29 m. Martis. In brachio dextero tria ulcera sunt, omnibus chancreorum genuinorum symptomatibus comitata; in sinistro vero 2 tantum, quorum processus quodammodo tardior est. Tres inoculationes fiunt in brachio sinistro pure ex chancro maxime evoluto brachii dextri sumto.

D. 31 m. Martis. Ulcera brachii dextri centimetrum fere magna sunt, in sinistro vero aliquid minora; secretio sat magna est, dolor haud multus; ulcera linteo aqua frigida imbuto tegebantur.

D. 2 m. Aprilis. In brachio sinistro inoculatio d. 29 m. Martis facta tres produxit chancros; pus ex iis sumtum tribus locis in brachio dextro inseritur.

D. 5 m. Aprilis. Chancra d. 2 h. m. inoculati tarde progrediuntur. — Tres inoculationes in utroque brachio fiunt pure sumto e chancreis, qui d. 25 m. Martis inoculati erant.

D. 10 m. Aprilis. Tres inoculationes in antibrachio sinistro fiunt pure sumto e chancro qui in eodem brachio d. 25 m. Martis inoculatus est. — Omnes chancra, 3 in brachio dextro, 2 in sinistro sanari incipiunt; ulcera ultimis inoculationibus producta tarde progrediuntur et chancreorum naturam non induunt.

D. 14 m. Aprilis. Inoculatio d. 10 h. m. facta non produxit nisi parvas pustulas, quae tertio die jam evanuerunt; omnia ulcera reliqua sunt sanata. — Tres nunc fiunt inoculationes pure in vitro conservato, e bubone syphilitico oriundo, quae tamen parvas tantum pustulas producant.

Quaestio nunc oriebatur an cutis immunitas orta esset, ut Tave vult, et ideoque inoculationes in brachiis effectu carerent, aut casus talis esset, qualem Boeck memorat in quo apud personas, quae hydrargyro usae sunt, post

aliquot inoculationes effectum nullum videat, qui tamen effectus denuo apparet post quasdam doses *jod. kalie.* adhibitas. Quum eo tempore materiem virulentam non haberemus, in aliis corporis regionibus inoculationes instituere non potuimus, quare materiem recentem exspectantes, *jodetum kalicum* dare statuimus, cujus usque ad d. 2 m. *Maii* drachmis tribus usus est.

D. 2 m. *Maii*. Pure ex chancro indurato in praepetio viri C., desumpto, duae fiunt inoculationes aliquantulum supra plicam inguinalem dextram et una infra femoris regionem internam. Mala cutis conditio exanthemate syphilitico producta atque scabies, quae nondum prorsus evanuerat, efficiebant ut loca inoculationi idonea admodum rara essent.

D. 8 m. *Maii*. Tres chanceri manifesti oriuntur; quorum materie tres fiunt inoculationes in regione abdominis inferiore et femoris interna, duae praeterca in brachio sinistro.

D. 10 m. *Maii*. Inoculationes d. 8 h. m. factae pustulas producunt. Denuo ex iis tres inoculationes fiunt in femore, quae die sequente totidem pustulas parvas producunt.

D. 13 m. *Maii*. E chanceris d. 2 h. m. inoculatis duae inoculationes in femore sinistro et duae in brachio fiunt.

D. 17 m. *Maii*. Tres inoculationes in brachio sinistro fiunt pure chancrorum ibi d. 8 m. *Maii* inoculatorum adhibito.

D. 20 m. *Maii*. Ulcera in sanationem transeunt, pustulae inoculationis semper decrescunt. Tres inoculationes in brachio dextro et tres in sinistro fiunt ex ulceribus d. 13 h. m. in brachio productis.

D. 22 m. *Maii*. Illae inoculationes nihil produxerunt. Tres inoculationes nunc in utroque brachio fiunt pure ex ulceribus artificiosis pueri V. sumto.

D. 24 m. Maii. Inoculationes posteriores pustulas tantum produxerunt, quae nunc jam evanescent. Hodie tres inoculationes fiunt in brachio sinistro pure ex ulceribus syphiliticis primariis mulieris J. sumto.

D. 27 m. Maii. Pus a muliere J. oriundum inoculatum tres parvas pustulas genuit, quae d. 29 jam evanuerunt; ex illis tres inoculationes fiunt in brachio sinistro sine ullo effectu.

D. 28 m. Maii. Tres inoculationes fiunt in brachio dextro materie ex ulceribus primariis oriunda, cujus tamen vis dubia erat; admodum parvas pustulas producunt, quae post duos dies disparent; omnia ulcera artificiosa sanata sunt, aegri conditio tamen melior facta non est. Nunc laborat e febre catarrhali leviori, quam regimen calidum et nonnullae doses pulveris Doveri mox fugant; at vero exanthema per aliquot dies magis manifestum factum est quam antea; fortasse simile est ei quod Boeck dicit se saepius observasse, scil. symptomatum syphilidis exacerbationem brevi antequam immunitas et sanatio inciperent.

D. 1 m. Junii. Tres inoculationes eadem materie qua d. 28 m. Maii in femore sinistro factae nihil efficiunt.

D. 2 m. Junii. Tres inoculationes in femore dextro materie a puero V. oriunda nullum effectum habent. Quum denuo immunitas orta videretur, denuo jodatum kalicum adscripsimus; quo remedio adhuc (d. 19 m. Junii) utitur, quum materies virulenta rursus desideretur.

Si quis quaerat an syphilisatio hoc in casu sanationem dederit, confitendum mihi est, licet exanthematis copia, quae nunc adest, multum differat ab ea, quae erat quum aeger reciperetur, symptomata syphilitica

nequaquam evanuisse; potest tamen fieri ut sit casus similis iis, quos Boeck describit, in quibus diu hydrargyri et jodii praeparata frustra administrata sunt, atque postquam syphilisatio immunitatem dedit jodium denuo adhibitum effectum bonum habere patet. Praeterea est casus quem syphilisationis defensores ad infaustos referunt, quum hydragyrum antea administratum, ex Boeckii experientia, actionem quam syphilisatio in symptomata syphilitica existentia exercet, plus minusve modificat. Quid sit postea patebit, at hic observare debeo, nonnullorum metum, ne syphilisatio remedium periculosum sit, hoc casu firmatum non esse; in nostro enim aegro multae conditiones aderant, quas syphilisationis fautores plus minusve periculosas putant. Antea hydrargyro usus erat, erat cachecticus, interdum e feбри laborabat; omnes conditiones, quibus Sperino ulcerum inflammationem vehementiorem attribuit, quasque causam existimat ob quam phagedaenica fiunt. Ulcera interea nullum characterem formidolosum induerunt, e contrario post tertiam inoculationem ita celeriter decrescebant quoad magnitudinem et tempus existentiae, ut gradatim chanccorum naturam amittentes in pustulas simplices transirent; ita ut 69 inoculationes in hoc aegro per tres menses institutae 14 tantum genuinos chancros produxerint, quum 12 omni effectu caruerint, et reliquae non nisi pustulas abortivas genuerint, quae ne cicatrices quidem reliquerunt.

Alter casus, in quo syphilisationis usum fecimus, applicatui faustior erat.

D. 20 m. Julii a. 1853, H. V., puer scrophulosus, 5 annos natus, polyclinicum chirurgicum introiit ulceribus scroti affectus, ad quem morbum impugnandum unguentum de acet. plumbi dabatur, sed sine ullo effectu. Mense Septembre ejusdem anni rediit, ulcera scroti phagedaenica facta erant, etiam ozaena orta erat: utriusque origo syphilitica cognoscebatur, quare lotiones aquae phagedaenicae dabantur et interne jodetum kalicum administrabatur. Aeger per satis longum tempus non rediit, donec d. 14 m. Maii a. 1855 polyclinicum denuo introierit, quum jactura cartilaginum narium locum habuisset. Examine de eo instituto patuit narium affectionem internam viam externam petivisse atque cartilagine destructas esse. Morbus vero tarde progrediebatur lupi exedentis naturam assumens, invitis usu jodeti kalici, jodureti ferri, olei jecoris aselli interne adhibito, variis adstringentibus et causticis repetitis applicatis. Nunc igitur decrevimus in hoc casu desperato syphilisationem pro ultimo remedio adhibere, de cujus actione hoc in casu melius judicare possemus, quoniam aeger numquam hydrargyro usus erat.

D. 2 m. Maii a. 1858 inoculationum initium fecimus. Aeger hoc tempore decem annos natus erat, debilis, emaciatus; alia vero syphilidis symptomata, quam jam memorata numquam in eo visa sunt. Lupus semper progreditur; uvula, palatum molle, tonsillae destructae sunt, arcus palatini anteriores et posteriores propter cicatrices defigurati sunt; in pharynge ulceratio profunda adest, magna parietis ulterioris parte destructa; ossa narium tamen adsunt, at cartilagine destructae sunt, nasus delapsus est; alae atque septum maxima pro parte destructa sunt, quaeque restant ulcerant, idem valet de cute genarum sub oculis.

In brachio dextro 3 inoculationes fiunt pure e chancro indurato in praeputio viri *C.* existente sumto.

D. 12 m. Maii. E chancris, qui has inoculationes sequebantur, et satis magni sed non profundi erant, tres inoculationes instituuntur in brachio sinistro.

D. 17 m. Maii. Ex ulceribus d. 12 h. m. productis tres fiunt inoculationes in brachio dextro.

D. 22 m. Maii. Omnes chancris satis magni sunt, quodammodo inflammati, fortasse quoniam aeger qui in nosocomio non est receptus, brachia saepe movet. Nunc in utroque brachio 3 inoculationes fiunt pure e chancris d. 17 m. Maii inoculatis sumto.

D. 26 m. Maii. Tres inoculationes fiunt in brachio sinistro pure ex chancris d. 22 h. m. inoculatis sumto.

D. 30 m. Maii. Nulla adhuc ulcera sanata sunt, satis dolores praebent, aqua frigida humectantur; quum aeger de insomnio per noctem queratur, acet. morph. gr. $\frac{1}{8}$ datur. Tres inoculationes instituuntur pure e chancris d. 26 h. m. inoculatis sumto in brachio dextro, duae in sinistro.

D. 2 m. Junii. Ulcera inoculationibus d. 30 m. Maii factis producta prioribus minora sunt. Lupus non progreditur. Fiunt inoculationes 3 in brachio dextro, una in sinistro pure sumto ex ulceribus d. 30 m. Maii productis.

D. 8 m. Junii. Ulterior inoculatio rursus ulcera minora produxit; pus inde sumtum in utroque brachio ter inseritur.

D. 13 m. Junii. Chancris nonnulli sanari incipiunt; inoculatio prior in brachio dextro instituta 2 tantum ulcera produxit, in sinistro vero 3, at omnia prioribus minora haud multum puris edunt. — Tres inoculationes pure ex iis oriundo in brachio sinistro fiunt.

D. 16 m. Junii. Lupus manifeste sanari incipit.

Ulterior inoculatio tres pustulas parvas haud multum secreti edentes produxit ex quibus rursus 3 inoculationes fiunt in brachio dextro.

D. 20 m. Junii. Conditio aegri multo melior est; ulceratio pharyngis sanata est, lupus sanari pergit; in utroque brachio nunc 36 inoculationes factae sunt, quarum sex tantum sine magno effectu erant, reliquae omnes ulcera manifesta prodixerunt. Hodie denuo tres inoculationes fiunt in brachio sinistro pure e pustulis d. 16 m. Junii productis sumto.

Quamvis hic casus aeque minus ac anterior dici posset exemplum esse sanationis syphilisatione effectae, tamen mihi persuasum habeo emendationem insignem, quae post inoculationes institutas in lupo locum habuit, ac per longum tempus remediis ordinariis frustra quaesita est, nobis revera jus dare sperandi fore ut inoculationes repetitae hunc morbum prorsus exstincturae sint.

Porro animadvertere debeo, quoad immunitatis in utroque casu magnum adesse discrimen; quum vero in casu priori post 5 vel 6 generationem pus non amplius valeret ad inoculationes cum bono effectu faciendas, et chancris sequentibus inoculationibus producti manifeste et magnitudine et tempore decrescerent, in casu altero vidimus post 6 inoculationes chancros demum decrescere et decimam adhuc generationem pustulas adhuc characteristicas producere, verum enimvero pro certo nequam habeo totum syphilisationis processum ad finem usque proferre posse, pure e chancris aegri

ipsius sumto, quum eorum secretum minus atque minus fiat.

Quoad reliqua, nunc alias de his duobus casibus observationes habere nolo, quum eorum finis nondum cognita sit, et alio loco de iis dicere spero.

THESES.

I.

Minus recte Vidal: La syphilisation, sortant de la théorie pour entrer dans la pratique, pour servir à la prophylaxie et à la thérapeutique, devient un contre-sens et un danger.

II.

Perperam Budge vomitus causam in meningitide quaerit ex emollitione succedenti serosi thalamorum nerv. opt. et corporum striatorum.

III.

Melius chlorosis sanatur ferrum dosi parva una cum albuminosis adhibendo, quam organismo magnam copiam ferri ingerendo.

IV.

Perverse illi curam instituunt, qui in morbo verminoso solummodo ad vermes expellendos medicinam dirigunt.

V.

Causae typhi abdominalis et typhi exanthematici non sunt eadem.

VI.

Vaccinatio et revaccinatio, quamvis nonnulli earum utilitatem negent, maxime sunt commendendae.

VII.

Incubatio viri syphilitici existere mihi videtur.

VIII.

In stricturis urethrae curandis dilatatio systematica optima methodus est.

IX.

Sectio venae externae jugularis rejicienda est.

X.

Graviditas non contra-indicat curationem anti-syphiliticam.

XI.

Graviditate extra-uterina verosimiliter existente membranarum punctio fieri licet.

XII.

Quum inversio uteri cum placenta adhaerente adest, placenta ante repositionem removenda est.

XIII.

Scarificationes ostii uteri in placenta praevia rejiciendae sunt.

XIV.

Toutes les fois, qu'il y a de l'incertitude sur la contagion, il est du devoir des médecins et des autorités administratives d'agir comme si la contagion était démontrée.

Chomel.

XV.

La médecine n'a pas seulement pour but de guérir les maux, auxquels nous exposent les influences étrangères et les imperfections de notre nature, elle doit chercher encore les moyens d'atténuer les dangers que nos faiblesses même nous font encourir.

Bertherand.